Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Gentzke

Frider. Gentzken, P.P. Introductio In Theologiam Naturalem : in qua Praemissa existentiae divinae demonstratione, oppositisque erroribus sc. Atheismo, Spinozismo & superstitione confutatis, non solum secundum lumen insitae rationis Dei perfectiones ex solidis fundamentis adstruuntur, sed & ius Dei, eidemque respondentia hominum officia exponuntur, atque ita cognitio Dei cum modo eum colendi coniungitur

Kiloni: Reutherus, [1700-1721]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816996199

Druck Freier Zugang

Gentz/Ken
Introd.
in
theol. natural.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816996199/phys_0001
DFG

Eb— 1084.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816996199/phys_0002
DFG

FRIDER. GENTZKEN, P.P.

INTRODUCTIO
IN
THEOLOGIAM NATURALEM,

in qua

Præmissa existentiæ divinæ demonstratione, oppositisque erroribus sc. Atheismo, Spinozismo & superstione confutatis, non solum secundum lumen insitæ rationis Dei perfectiones ex solidis fundamentis adstruuntur, sed & jus Dei, eidemque respondentia hominum officia exponuntur, atque ita cognitio Dei cum modo eum colendi conjungitur.

Ex Bibliotheca Academiæ Rostochiensis

KILONI,
Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816996199/phys_0005
DFG

VIRO

PERQUAM GENEROSO AC MAXIME STRENUO,

DOMINO

HENR. CHRISTIANO

STRYKIO,

SERENISSIMI DUCIS REGENTIS SLESVICO-HOLSATICI CONSILIARIO JUSTITIÆ MERITISSIMO, GRAVISSIMOQUE,

DOMINO AC FAUTORI SUO OBERVANTER COLENDO

FELICITATEM PERPETUAM!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816996199/phys_0006
DFG

VIR
Perquam-Generose,

NE ægre feras, quod huncce libellum celebri Tuo Nomini inscribere sim ausus; etenim & mores hactenus istud pro licito habent, nec ullam meretur reprehensionem, labores suos æquis studiorum æstimatoribus commendare velle, multo minus vituperio dignum, si quis, cui alia media desunt, hocce signo testatum faciat, quantopere eximias alterius virtutes suspiciat ac veneretur. Equidem semel modo Te Vir Perquam-Generose compellavi, sed in brevissimo temporis spatio tantam comitatem, prudentiam & sinceritatem TIBI propriam deprehendi, ut exinde judicare facile potuerim, haud vanam esse famam, quæ animi Tui dotes, eruditionem scilicet, justi rectique amorem, laborem indefessum, intemeratam in Principem fidem, publicique boni curam deprædicat. Fateor quidem, præsentem libellum, juvenum usui solummodo accommodatum, potius Theologorum quam Politicorum & Jureconsultorum patrocinio commendandum

dum fuisse: Verum enim verocum & his æque ac illis cordi sit, sinceram pietatem, omni hypocrisi ac superstitione vacuam, stabilire, leges prudentiæ me haut violasse præsumo, si quando & TIBI tanquam Viro vere Politico & de bono publico promovendo anxie sollicito, hancce meam ad solidam pietatem & inde pendentem honestatem & prudentiam manuductionem consecrare sustineam, quam ut serena fronte suscipere, nec oblati libelli vilitatem, sed offerentis observantissimum animum respicere velis, oro rogoque. Interim S. Numen precor, ut TE nobis diu semperque incolumen præstet

Perquam Generosi
Nominis Tui

Cultor perpetuus

FRIDER. GENTZKE.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816996199/phys_0008
DFG

Ad

Benevolum Lectorem.

NOn sine animi dolore præsentem hominum conditionem perpendi, quorum altera pars Atheismo, aliisque impietatis generibus promovendis inservit, altera vero superstitionem, & quæ ei affinia sunt, stabilire allaborat, quo ipso & *malitia* & *stultitia* non possunt non augmentum capere, mortaliumq; mentes ita fascinare, ut producant effectus in Dei contemtum & maximum societatis humanæ damnum redundaturos. Causam hujus mali non sine fundamento reputo esse neglectum *theologiæ naturalis* studium. Etenim quam frigide nobilissima hæcce de Dei cognitione & cultu scientia plerumque tuerit pertractata, e lectione libellorum, eum in finem editorum, satis patescit. Inde commotus sum, ut in præsenti schediasmate juvenibus solidiora hujus disciplinæ fundamenta, qua fieri potuit brevita-

tē & perſpicuitate propoſiturus, ſimul eos ab onere dictata calamo excipiendi liberarem, nullus dubitans, fore ut ſuppeditata & ex optimis Scriptoribus *Poiretto*, *Sturmio*, *Coudworthо*, *Grewio*, *Clerico*, *Lockio* &c. collecta argumenta ad Deum agnoſcendum & colendum mentem convincant, ac ex illa improbitatem ac hypocriſin removeant. Illa autem methodo ſum uſus, ut abſoluta Dei cognitione ſimul modum colendi ipſum ſubjunxerim, ut ita non ſolum intellectus noſter de divinæ exiſtentiæ & eſſentiæ veritate perſvadeatur, ſed & voluntas noſtra ad ejus amorem & venerationem impellatur. Denique ut B. L. meum libellum ea ſinceritate dijudicet, qua conſcriptus fuerit, oro rogoque. Vale & conatibus noſtris fave.

Con-

Conſpectus totius Libri

De natura & conſtitutione Theol. Natural. pag. 1

Partis Generalis

Sectio I.

CAP. I. de natura & definitione Dei - - 4.
CAP. II. de reali Dei exiſtentia - - 5.
CAP. III. de Atheismo - - - 11.
CAP. IV. de Spinozismo - - - 19.
CAP. V. de Superſtitione - - 22.

Sectio II.

CAP. I. de attributis divinis in genere - 26.
CAP. II. de Vita Dei ſ. ejus ſpiritualitate - 29.
CAP. III. de Sufficientia Dei - - - 30.
CAP. IV. de Æternitate Dei - - - 32.
CAP. V. de Immenſitate & infinitate Dei - 33.
CAP. VI. de Intellectu & omniſcientia Dei - 35.
CAP. VII. de Voluntate & potentia Dei - 40.
CAP. VIII. de Dei unitate - - - 42.
CAP. IX. de Immutabilitate & ſimplicitate Dei 49.
CAP. X. de Creatione Dei - - - 52.
CAP. XI. de Providentia Dei - - 55.
CAP. XII. de Incomprehenſibilitate Dei - 67.
CAP. XIII. de attributis Dei moralibus in genere 68.
CAP. XIV. de Bonitate Dei - - 69.
CAP. XV. de Veracitate Dei - - 71.
CAP. XVI. de Juſtitia Dei - - - 72.

Partis

Partis Specialis.

Sectio I.

De cultu Dei in genere . . 77.

CAP. I. de Amore De[i] . . 79.
CAP. II. de obedientia [erga] Deum 80.
CAP. III. de veneratione [Dei] . . 82.
CAP. IV. de reverentia erg[a] Deum . 83.
CAP. V. de fide divina . . . 84.
CAP. VI. de fiducia in Deum . . 85.

Sectio II.

De cultu Dei externo . . . 86.

CAP. I. de invocatione Dei . . 87.
CAP. II. de Laude & celebratione Dei . 90.
CAP. III. de Gratiarum actione Deo exhibenda 91.
CAP. IV. de Sacrificiis & Sabbato. . . 92.
CAP. V. de Usu theologiæ naturalis. . 93.

PROLE-

PROLEGOMENA
de
Natura & constitutione Theologiæ Naturalis.

§. 1.

COmmune Philosophiæ moralis fundamentum esse *Theologiam naturalem*, omnes, penitiorem rerum cognitionem habentes haut diffitebuntur: frustra enim, ut homines præceptis *justitiæ & amoris* convenienter vivant, injungitur, nisi antea, *Deum dari*, probaveris, &, quod ille ad has vel illas actiones omittendas & faciendas nos obligare *potuerit* ac *voluerit*, eviceris.

§ 2. Vulgus quidem Philosophorum Theologiam naturalem non vult pro distincta & peculiari disciplina habere, sed potius cognitionem Dei naturalem vel ad *Metaphysicæ partem specialem*, vel ad ita dictam *Pneumaticam* refert; Enim vero, quoniam *Metaphysica*, prout communiter docetur, nullam disciplinam, sed modo lexicon terminorum Philosophicorum exhibet, & *Pneumatica* vulgaris falso

præsumit, universalem conceptum de *DEO*, *Angelis*, & *mentibus humanis*, in quantum sunt *Spiritus*, præscindere, (cum tamen Angelorum natura ex ratione sibi relicta demonstrari nequeat, animarumque humanarum consideratio ad Physicam spectet) remanet *DEUS*, qui ob sui excellentiam utique meretur, ut unice sit *objectum* peculiaris disciplinæ.

§. 3. Per *Theologiam* autem *naturalem*, intelligo illam *scientiam*, *quæ ex solo instæ rationis lumine probat & docet*, *quid Deus circa sui* cognitionem & cultum *in statu naturæ exigat*, *ut eidem simus grati*, *adeoque conscientiam naturaliter tranquillam habeamus*. Hanc de Deo doctrinam alii vocare solent *Religionem Naturalem*.

§. 4. Ex modo data definitione patet, quod Theologiæ naturalis duæ constitui possint partes.

Ima exhibebit *Dei cognitionem*, quæ ut rite tractetur, dabimus (1) *Dei definitionem*, (2) divinæ *existentiæ demonstrationem*, (3) errorum oppositorum sc. *Atheismi* (4) *Spinozismi*, & (5) *superstitionis refutationem*, (6) *attributorum divinorum* expositionem.

Ilda exhibebit *Dei cultum*, ubi officia pietatis nobis incumbentia exponenda erunt. Illa quidem ab aliis in Jure naturæ traduntur, sed quemadmodum eos suo sensu abundare sino, sic & mihi hanc libertatem tribuo, ut

officia

officia erga Deum huic noſtræ diſciplinæ optime inſeri poſſe putem, idque ideo, quod nullum principium aſſignari poſſit, unde officia tam *erga Deum*, quam *nos ipſos* & *alios* juſte & ſimul deduci queant. Proinde me ſatis accurate procedere præſumo, ſi quando in illa diſciplina, in qua Dei cognitio inculcatur, etiam officia pietatis ſiſtuntur, ſiquidem ea demum *ex relatione hominum ad attributa divina*, commode enucleari, diſtincteque cognoſci poſſint.

§. 5. His poſitis, ſubnectimus axiomata nonnulla, demonſtrationi theſium noſtrarum inſervientia, qualia ſunt.

1. *Non poteſt aliquid eſſe in effectu, quod non aut* formaliter *aut* eminenter *fuit in cauſa.*

2. *Quicquid eſt, vel eſt a* cauſa extra ſe, *vel* à ſe poſitive.

3 *Quicquid a ſe eſt, & propria potentia exiſtere poteſt, id immmenſa activitate gaudere debet.*

4. *Ea res, quæ novit ſe aliquid perfectius, a ſe eſſe nequit.*

5. *Gradatim augeri, certiſſimum eſt imperfectionis argumentum.*

6. *Quodcunque plus realitatis & perfectionis continet, non poteſt fieri ab eo, quod minus perfectionis continet.*

7. *Quicquid res extra ſe producit & conſervat, id tanto magis ſibi ipſi eſſe dare, & ſe ipſum conſervare poterit.*

8. *Major perfectio est non posse dividi, quam posse dividi.*

9. *Finitum est, cui deest plena & mera realitas.*

10. *Infinitum est, quod omnem & meram realitatem complectitur &c. &c.*

PARTIS GENERALIS
ubi
exhibetur
Dei Cognitio
SECTIO I.
versans
Circa Dei definitionem, existentiamque demonstrandam
ac
oppositos errores, Atheismum, Spinozismum & Superstitionem refellendos.

CAP. I.
De
Natura & definitione Dei.

§. 1.

OMnium primo hic exponendum erit, quid per vocem *Deus* indigitetur, utpote quem varii varie definiunt. Scholasticis Deus describitur *per Spiritum infinitum* vel *independentem*. Cartesianis Deus vocatur *substantia omnimode perfecta, omnesq; excogitabiles perfectiones possidens*. Cl. Poireto Deus dicitur

essen-

essentialis cogitatio, in notitia suæ formæ s. ideæ amore acquiescens.

§. 2. Enim vero cum in definitione alicujus rei debeat sisti ejusmodi essentiale attributum, (1) *quod de re omnium primo concipiatur*, (2) *per quod res a sibi immediate oppositis distinguatur*, & (3) *quod sit instar principii, unde reliqua attributa deduci queant*, hance Dei definitionem satis accuratam præsumo, videlicet quod sit *substantia viva, a se ipsa existens, ceteris vero omnibus existentiam largiens.*

§. 3. Inde simul intelliges, Hobbesium tam impie quam absurde statuere, *quod nullam de Deo ideam & conceptum nobis formare possimus*, quodq; omnium optime Deus describatur *per id, quod concipi nequit*; ubi quidem lubenter confiteor, Deum adæquate concipi haut posse, ut tamen firmum sit, nos aliqualem & ad convincendum de ipsius existentia animum nostrum sufficientem habere posse conceptum, siquidem ad objecti perceptionem nil facit objecti amplitudo, sed ejus existentia s. reales perfectiones.

CAP. II.
De
reali Dei existentia.

§. 1.

QUod autem ejusmodi Ens, quale in præcedenti capite descripsimus, quodque Deum

Deum vocamus, actu detur, in præsenti demonstrandum erit. Deum itaque existere evincimus.

I. *Ex mentis humanæ existentia*, ita ratiocinando: Quoniam animus hominis propriæ existentiæ ejusque continuatæ certissime conscius sit, multasque & egregias intelligat perfectiones, quas tamen ipsa in se non deprehendat, sequitur, quod vi axiomatis quarti anima nostra a se ipsa esse nequeat; etenim si vim se ipsam producendi habuisset, procul dubio sibi omnes, quarum ideam in se habet, perfectiones concessisset; siquidem qui potest majus, videl. *se efficere substantiam*, potest etiam minus, sc. *eas perfectiones, quas novit, in se producere.* Ergo mens hominis est ab alio ente, id autem, quod est mentis causa, dicimus *Deum.*

II. *ex materiæ existentia*, ita concludendo: Cum materia sit res *mere passiva*, haut possibile erit, ut sibi ipsi existentiam largiri potuerit, quandoquidem vi axiomatis 3. non solum ingens vis & activitas requiritur in re, quæ se ipsam existere fecit, sed illa vis productiva infinita esse debet; cum enim *esse* a *non-esse* infinite distet, ens illos terminos ad unum reducens, immensa ut sit instructum potentia necesse est. Ergo quia materia omni vi intrinseca destituitur, supponit sui creatorem, quem dicimus *Deum.*

III. ex

III. *ex mentis noſtræ unione cum corpore*, ita ratiocinando: Quoniam anima noſtra utpote ens vivum, cum corpore ceu ente paſſivo ac organice diſpoſito eſt modo ſapientiſſimo unita, ita quidem, ut illa in hoc, hæc in illam agat, ſintque certi motus corporis cum certis perceptionibus & commotionibus mentis conjuncti, ſequitur, quod iſta arctiſſima mentis ac corporis unio facta ſit *vel* ab ipſis partibus, *vel* ab ente alio. Quodſi unio hæc a b ipſis partibus dependeat, *aut* ab anima *aut* a corpore erit. Non *a corpore*, quia hoc eſt ens paſſivum, nec *ab anima*, quia hæc procul dubio tum quoque deberet noſſe modum operandi in corpus, hujusque varia & artificioſa organa accurate intelligere. Sed quoniam in nobis contrarium deprehendimus, videl. *ignorantiam modi operandi & organorum, quibus operatio fit*, neceſſario concludi debet, unionem corporis eſſe ab alio Ente, quod vocamus *Deum*.

IV. *ex interna mentis noſtræ conſcientia*, ita argumentando; Si a me ipſo eſſem, meamque exiſtentiam poſuiſſem, cum illud ſit actus, mens mea tanquam res conſcia eorum, quæ in me actu ſunt, etiam debuiſſet noſſe, quod ſe effecerit, ſiquidem haut poſſibile, ut quis ſit cauſa rei, cujus productionem ignorat. Dum itaque clare percipio, me non a me ipſo exiſtentiam accepiſſe, ſimulque clare intel-

intelligo, purum nil aliquod ens producere non posse, firmiter concludo, Ens me prius exstitisse, quod me creaverit, quodque dicimus *Deum*. Inquis, *me esse a parentibus meis, hos rursus a suis parentibus & sic in infinitum*, sed Resp. negando, parentes esse mei causas, cum stolide illa habeatur rei causa, quæ naturam effectus ignorat.

V. *ex natura motus* ita concludendo: Quoniam materia tanquam Ens passivum non potest haberi motus causa, quandoquidem adjunctum suo subjecto nobilius esse nequeat, concedenda est præter materiam alia motus causa, & quamvis anima nostra vim movendi materiam possideat, non tamen ab ea possunt esse leges motus sapientissime constitutæ, ut juxta illas materia varie modificetur, & per tot secula constanter fuerit agitata, id quod necessario superiorem directorem, quem dicimus *Deum*, supponit; si enim fortuito materia incepisset moveri, leges illas non tam diu conservasset, siquidem, quod fortuito oritur, etiam fortuito perire & interire potest. Inquis, *Spiritum creatum posse motus in materia facti causam esse*, sed quid tum, siquidem & hoc posito, sequatur, esse *Deum*, videl. qui sit illius tam excellentis spiritus creator.

VI. *Ex innata nobis de Deo idea* magnus Cartesius, Deum dari actu, demonstrat sequentem in modum. (1) *Quando* inquit, *cla-*

claram ac distinctam rei alicujus ideam habemus, simul in rerum natura debet dari ens, in quo formaliter vel eminenter contineatur illa idea, quodque sit causa, ut talem vel talem ideam nobis formaverimus; siquidem idea nil aliud quam alicujus entis imago ac exemplar. (2) *Quamvis itaque idea substantiæ ex hoc ipso, quod sim substantia, possit desumi, non tamen idea substantiæ perfectissimæ, cum sim finitus, nisi ab alia substantia, quæ revera est infinita, procedere potest:* etenim, qua quæso ratione intelligerem aliquid mihi deesse, & me non esse omnino perfectum, si nulla idea entis perfectioris in me esset, ex cujus comparatione defectus meos cognoscerem; (3) Proinde *cum ideæ tot perfectionum nec formaliter*, nec *eminenter in me contineantur*, sequitur, aliquam rem, quæ istarum idearum est causa, etiam existere, quam voco *Deum.*

§. 2. Possent adhuc plura argumenta pro demonstranda Dei existentia desumi, ab *acquiescentia mentis in idea Dei, a conservatione hujus totius, ab artificiosissima fabrica & ordine hujus mundi, ab animalium sexu diverso, eorundemque organis mirificis, utpote oculis, auribus, manibus &c. &c.* sed quia firmiter sum persuasus, exposita argumenta sufficere, nec permittere, ut quis cum ratione Dei existentiam negare, aut de Deo semper dubitare possit, ulterius procedo, concludoque,

Illud ens, quod hominibus & reliquis entibus illis inferioribus existentiam dedit, (1) *necessario debere esse vivum, & intrinseca activitate gaudere*, cum, quomodo ens mere passivum alia entia efficere potuisset, concipi nequeat. (2) *necessario debere a se ipso existere*, siquidem ens ab alio ortum habens sit imperfectum necesse est, ac proinde ad alia entia ex nihilo producenda, tantisque perfectionibus instruenda incapax: de qua re vid. pluribus infra.

§. 3. Veræ de Deo, ejusdemque existentia & natura doctrinæ repugnat *Atheismus* & *superstitio*. Hæ duæ extremæ opiniones, etiamsi e diametro altera alteri opposita videatur, in multis tamen rebus quam arctissime conveniunt. Nam ut præteream *unanimem ipsarum conspirationem contra veram Dei notitiam ac religionem*, se invicem *mutuo per vices* producunt. Sc. *Atheus*, dum acumen rationemque naturalem tantopere crepat, (quamquam mentis malitia efficit, ut inepte ratiocinetur:) facit omnino, ut superstitiosus sibi firmiter persuadeat, rationem haut idoneam esse ducem ad Deum. Et *superstitiosus* vicissim, dum vaga tumultuariæ suæ imaginationis deliria pro indubitatis divinæ sapientiæ principiis dictitat, efficit, ut Atheus totam rem religionis notionisque Dei nil aliud esse, quam molestum nimis sollicitæ Melancholiæ paro-

paroxismum credat. Quoniam itaque plerique homines vel præsumtæ rationis, vel confusæ imaginationis ductum sequuntur, accidit, ut quam plurimi homines vel in *Atheismum*, vel in *Superstitionem* prolapsi, speciali Dei auxilio indiguerint, quo illos scopulos evitare possent.

CAP. III.
De
Atheismo.

§. 1.

QUi existentiam Dei negant, dicuntur *Athei*, ubi imprimis agitatissima est quæstio: *an dentur tales*, i.e. an detur quisquam mortalium *ratione pollens*, qui ipsam Dei existentiam *directe* neget, ita quidem ut ex interiori animi sententia securus acquiescat in falsissima hac falsitate: *non existit Deus*, tanquam in theoremate, de cujus veritate ob ejus evidentiam certo se persuasum esse putet, qualis vocari solet *speculativus Atheus*? & Resp. negando, talem Atheum *naturaliter* dari posse, propter allegatas in præcedente capite rationes, ex quibus thesis illa invictis astruitur argumentis, inter quæ nonnulla vel leviter cogitanti obveniunt. Quinimo nego *Pyrrhoneos* tales *naturaliter* inveniri, qui semper de Deo possunt dubitare, quia mox rationes invenient, quibus se a dubio suo possint liberare.

§. 2. Sed suppono in hac controversia.

I. *hominem sanæ & excultæ mentis, quique in veritatibus dijudicandis ratione sua uti novit*; Et sic excludo *mente captos*, ac *infantes*, quinimo tales, qui non nisi *externam hominis speciem* gerunt, quique ex immersione rationis in terrena quasi obbrutuerunt, qualis *brutalismus* occupavit multas extremas mundi partes, ubi degunt homines, vix ultra brutum sapientes.

II. *Hominem directe Dei existentiam negantem*, & sic a mea thesi excipiuntur, quorum impietas se eo extendit, ut ex *præsumtione rationis melioris quædam de Deo affirment vel negent, quibus saltem* indirecte *Deum tollunt*. Quales inter eruditos non paucos invenies.

III. *Hominem ex interiori animi sententia Deum negantem*, & sic excipio a mea thesi *Atheos* illos, quos vocant *practicos*, qui vitam maxime improbam agunt, ac ideo nullum Deum esse vehementer discupiunt, ut sic ab animi morsibus, a molestia corrigendi mores, & a metu reddendi rationem de vita hic peracta immunes esse queant, proinde Deum verbis quidem abnegare non verentur, conscientia tamen interna maxime reluctante. Horum uberrima proh dolor! seges ubivis locorum deprehenditur.

IV. *Hominem, qui Deum non dari rationum evidentia persuasus sit*, & sic excipio *partim* eos,

eos, qui ex *rationis imbecillitate* de Deo dubii sunt, attamen cum anxietate & ex animo suis dubiis per solidam Dei cognitionem exsolvi cupiunt, *partim* eos, qui solidam rerum scientiam anhelantes, *dogmatice de Deo tamdiu dubitant*, usque dum meditando argumenta, Dei existentiam clarissime demonstrantia, invenerint. Ex *illorum* numero sæpe plurimos optimæ indolis homines invenies, quorum Deus miserebitur votique compotes reddet. Ex *horum* numero imprimis fuit Cartesius, qui in Epist. X. de Dei existentia dogmatice dubibitare pro licito habuit.

§. 3. Hic autem communiter objicitur, *quod tamen historiæ Atheos speculativos, inter antiquos & recentiores indigitent.* Enim vero, si quis ineptias vulgi eorumque superstitiones aut contemserit aut minus forte æstimaverit, inclementer statim in Atheorum turbam distento gutture & indicta causa depellitur. Neque equidem quicquam sæpius usu venire memini, quam ut, qui superstitionem tollere moliuntur, ab iis, qui turpissime se eidem manciparunt, Atheismi convicio & ignominia notentur. Cum enim nullam esse posse præter suam religionis rationem arbitrentur, eam si qui minus suspiciunt, quamvis alioquin eximiam erga Deum exhibeant pietatem, illos tamen ceu Cyclopum sobolem tum Deo tum hominibus exosam insectantur.

 §. 4. Quo-

§. 4. Quorundam tamen, quod lubenter confiteor, impia ambitio eo pervenit, ut subtilitatis suæ probandæ causa, thesin hanc: *Deum dari*, impugnare conati sint, in animo contrarium statuere convicti; ad quam classem non pauci ex antiquis & recentioribus Scriptoribus referri jure meritoque debent, de quibus vid. Obs. Hall. Tom. X. obs. IX. §. 1, 3.

§. 5. Theologis vero inquirendum relinquo, *annon Deus ejusmodi impium hominem, qui optat supprimere in se Dei notitiam, & variis undique collectis argumentis audet rationes, quibus Dei existentia invicte probatur, infringere, & quasi suam malitiam stabilire, anne*, inquam, *Deus ejusmodi pessimum hominem derelinquat*, ut tandem, quod velit, credat, sitque *Atheus per pœnam* talis.

§. 6. Primaria Atheorum argumenta sunt sequentia,

I. *Quod omnes nostræ ideæ, quas habemus, sint modo a rebus corporeis per sensus desumtæ, proinde, quia Deus per nullum sensum cognosci potest, palam esse, non dari Deum.* R. falsum esse, quod tota nostra cognitio sit sensualis, siquidem etiam de rebus abstractis & immateriatis, utpote de *lege*, *virtute*, *prudentia*, *obligatione*, *pacto* &c. ideas fornare possumus. Præterea Atheus non poterit negare existentiam animæ suæ, quam nullo sensu externo percipit,

pit. Ergo nec Deum negare poterit, quamvis illum non sentiat.

II. *Quod infinitas, quæ de Deo communiter prædicatur, concipi nequeat, sitque sonus sine idea.* R. falsissimum esse, quod terminus *infinitatis* sit vanus sonus, per illum enim *in*digitamus ejusmodi ens, cui nulla perfectio potest addi, quodque est perfectissimum. E. g. infinita sapientia est sapientia perfectissima absque mixtura ignorantiæ & confusionis.

III. *Quod hominum timiditas opinionem de Dei existentia produxerit, cum enim homines laborent inquiete respectu futuri, an sc. aliquid boni vel mali post hanc vitam eos maneat, ad credendum Deum permotos esse.* R. concedendo quidem haut paucas gentes timore inductas esse, ut divinitatem colerent, attamen inde non sequitur, omnes omnino homines ex solo metu ad credendum Deum fuisse incitatos, cum tot fundamenta a ratione sana suppeditentur, quæ homines de Dei existentia convincant.

IV. *Quod ignorantia causæ phœnomenorum in sensus incurrentium, permoverit homines, ut credant Deum, quandoquidem id semper homines Deo attribuant, de quo nullam rationem reddere possunt.* Resp. plane negando, etenim cognitio causarum recta ad Dei cognitionem & venerationem ducit, & potius Atheismus oritur e causarum ignorantia, scilicet

Atheus

Atheus nescit dare rationem originis animæ & corporis sui, hanc enim si dare vult, non potest non simul Deum admittere.

V. *Quod astutia imperantium opinionem de Deo credulis persuaserit.* R. negari nequit, imperantes sæpe religione abusos esse ad stabiliendam propriam auctoritatem, posthabita subditorum salute, quodsi tamen religio haut fuisset fundata in ratione, nunquam tam diu glaucoma illis objecissent.

VI. *Quod omnia fortuito sint facta, hominesque instar plantarum e terra orti.* Resp. nil stolidius dici posse, quam quod entia fortuito exstiterinti, sane concipi nequit, quomodo corpus plantæ ne dicam animalis tam artificiosissime casu componi potuerit. Quod autem homines initium habuerint, & a paucis primum a Deo productis ortum traxerint, sequentes adstruunt rationes, (1) *quia, si olim e terra homines fungorum more orti, nulla indigitari possit ratio, quare & hodie non eodem modo gignantur,* (2) *quia ex historiis palam est, genus humanum successive auctum esse, & cum omnes gentes Arithmetica decennali utantur, cum multo facilius per tetracticam* &c. id expedire potuissent, Dn. Sturmius concludit, homines a paucis proveniisse.

§. 7. Denique hic notandus venit *Hobbesius*, qui in Lib. *de Cive* peccatum Atheismi refert inter *peccata imprudentiæ*, ita ut Atheus non possit

possit puniri ceu subditus injustus. Enimvero quod Atheus, si datur, summum *injustitiæ peccatum* perpetret, & sic non pro imprudente sed summe *impio & injusto* habendus sit, vel inde elucet, quod jus Dei tanquam superioris sui violet, dum eundem vel Dominum agnoscere ac venerari intermittit, porro veram sui conservationem negligit, & denique securitatem & pacem publicam impia sua opinione labefactat.

§. 8. Proinde Atheus tanquam *injustissimus* erga *Deum*, *seipsum* & *alios* juste puniri poterit; æquitas tamen eundem non quidem *pœna capitali*, sed tanquam mente captum *perpetuo carcere*, usque dum resipiscat, multandum jubet. Imprimis cum jus divinum à Magistratu Christiano exigere videatur, *ne delinquens impœnitens ad capitale supplicium rapiatur*, sed ut vel ad tempus differatur, vel ut deliquens alia severiori pœna castigetur, donec pœnitentiam egit.

§. 9. Impugnant nostram thesin imprimis *Hobbesius* ac *Bayle*, negantes, Atheum juste puniri posse. Rationes Hobbesii sunt, (1) quod *Atheus non agnoscat Deum superiorem, quodque ideo nullam legem habeat, contra quam peccet.* Ergo concludit, eundem juste pœnis affici haut posse. Resp. per ignorantiam affectatam non eludi posse jus alterius legitime quæsitum, imprimis cum adhibita debita

diligentia, & præjudiciis depositis, facile intelligi queat, & Deum esse & super homines habere jus imperandi, cui arctissima parendi obligatio in nobis respondeat. (2) *quod Atheus nunquam consenserit in subjectionem Dei* Resp. sufficere quod consentire debuerit, cum nullas causas allegare valeat, quare se Dei imperio subtrahere juste possit.

§. 10. Sed Dn. Bayle Atheos ea de causa a pœna immunes pronuntiat, *quod ipsi tranquillitatem publicam turbare nunquam ausi semper pacate vixerint.* Enim vero, quamvis nonnulli Atheorum ex naturali sanguinis temperamento, accedentibus profundis speculationibus, a turbis abhorrentibus, magis ad quietem quam inquietem proclives fuerint, plerique tamen hominum ita ad turbandam pacem communem ductu affectuum suorum inclinant, ut eosdem reprimere vix possibile esset, ni duobus mediis, sc. *pœnis humanis* respectu actuum manifestorum, & *pœnis divinis* intuitu actuum clandestinorum cohiberentur. Quod posterius medium si non foret, solæ humanæ pœnæ non sufficientes essent, ad reprimendos conatus inquietorum, cum infinitæ dentur occasiones, alios clanculum lædendi.

§. 11. Et hactenus de Atheismo, cui affinis est *Spinozismus*, de quo in peculiari capite.

CAP.

CAP. IV.
de
Spinozismo

§. 1.

QUandoquidem neminem inter Numinis cultores numerare oportet, nisi qui simul Deum *Mundi Dominum & opificem*, eundemque a creaturis *distinctum* admittit, non possumus non in Atheorum classem referre, *Benedictum de Spinoza*, natione Judæum, qui religionis, cui innutritus erat, desertor, Christianus equidem videri voluit, sed ingenii haut infœcundi commentis nimium indulgendo, Deum cum natura ipsa confundebat, vel potius Deum in ejusmodi Ens transmutabat, quod nil minus quam nomen titulumque Dei promeretur.

§. 2. Etenim in Ethica, quam methodo geometrica adornavit, sequentem de Deo sibi format conceptum, videl. *Unam modo substantiam in rerum natura dari, eamque esse absolute infinitam, cujus attributa haberi debeant reliquæ res extensæ & cogitantes.* Hanc vocat *DEVM*, quo simul patet, omnes res secundum ipsum esse in DEO, tanquam in suo subjecto, Deumque esse omnium rerum causam, ut vocant, *immanentem*, ita ut omnes res particulares, quæcunque sint, ex essentia Dei necessario fluant. Imo ne

quis de impia ipsius sententia dubitare possit, huic suo fictitio DEO omnem libertatem denegat, eundemque ex naturæ suæ legibus necessario agere statuit.

§. 3. Quod autem impia hæc Spinozæ opinio non ab ipso fuerit excogitata, verum quod plurimi diversarum sectarum Philosophi inter Chaldæos & Græcos jam olim illam stabiliverint, multis probat Cl. *Buddeus* in Diss. *de Spinozismo ante Spinozam*, ubi simul ostendit, nullam sectam ex veteribus magis recedere a Spinozismo, quam Platonicam, utpote quæ maximam Deo libertatem tribuat, eumque quam accuratissime a materia removeat.

§. 4. In Spinozismo debellando operam satis laudandam præstiterunt viri celebres *Henricus Morus & Petrus Poiret.* Sed cum periculo non careat, errorem producere sine confutatione, ad præcipuas Spinozæ rationes paucis respondebimus; superstruit autem suam impiam opinionem hisce imprimis fundamentis I. *Quod ad naturam substantiæ pertineat, ut necessario existat.* Hæc propositio vera quidem, si sermo est, de substantia a se existente, sed falsissima, si intelligatur substantia ab alio dependens. II. *Quod una substantia non possit produci ab alia substantia*; quæ thesis falsissima est, cū nil obstet, quo minus substantia, infinitis perfectionibus prædita, aliam pro-

ducat

ducat ſubſtantiã. III. *Quod in rerum natura non poſſint dari duæ ſubſtantiæ ejusdem naturæ*, hoc eſt, ut ipſe interpretatur, *commune aliquid inter ſe habentes*; quæ ſane propoſitio iterum falſa eſt, quis enim negabit lapides, metalla, plantas, animalia, ut ut ſubſtantias, inter ſe diverſiſſimas, in certo tamen tertio convenire. IV. *Quod quæ res nil commune inter ſe habent, earum una alterius cauſa eſſe nequeat* : enim vero præterquam quod falſum ſit, dari ſubſtantias nil commune inter ſe habentes, nullam contradictionem involvit, ut ſubſtantia infinitæ perfectionis aliam imperfectiorem producat.

§. 5. Hiſce addi poſſunt, ad deſtruendam Spinozæ impietatem, ſequentes rationes, (1) *quia extenſio & cogitatio unius ſubſtantiæ attributa eſſe nequeunt*; nam quodcunque ens eſt mere paſſivum, illud implicat, ſimul eſſe vivum & cogitans, (2) *quia, ſi creaturæ pertinerent ad eſſentiam Dei, Deus Spinozianus in multis impiis hominibus non eſſet Deus ſed Diabolus*, quod de Deo ceu ente vere bono cogitare blasphemum, (3) *quia, cum videmus creaturas perpetuis viciſſitudinibus obnoxias, ſimul Deus mutabilis eſſet ſtatuendus*, id quod tamen de ente perfectiſſimo ſtatuere abſurdum eſt.

CAP. V.
De
Superstitione.

§. 1.

ALterum veræ Dei cognitioni oppositum extremum est *Superstitio*, quæ in genere definitur, *per judicium intellectus corruptum, quo vel de Deo ejusque cultu, vel de potentiis rerum creatarum ea credimus & statuimus, quæ sanæ rationi tam naturali quam illustratæ repugnant.*

§. 2. Et sic vides, superstitionem vel *directe* vel *indirecte* repugnare Deo. *Directam Superstitionem* voco illam, *quando quis de ipsa Dei essentia & colendi modo sibi absurdos format conceptus*, dicitur{que} *Idololatria*, qua obcœcati fuerunt gentiles, qui solem, astra, ignem &c. pro Numinibus habuerunt. Huc pertinet etiam superstitio eorum, qui sibi conceperunt Deum more hominum crudelem, proinde sanguine humano placandum &c. &c.

§. 3. Superstitionem *indirectam* voco illam, quando *quis de potentiis rerum creaturum sibi absurdos format conceptus*, eas vel nimis *exaggerando* vel *extenuando*, utpote

1. *Quando creaturis attribuuntur honores & perfectiones soli Deo competentes*: Sic superstitiose Pontificii adorant Sanctos, Papamque credunt infallibilem. 2. *Quan-*

2. *Quando Spiritus malignos mediis plane absurdis ſc.* cruce, ſpinis, variisq; herbis &c. *abigi & coerceri poſſe credunt*, quorſum pertinet etiam ſuperſtitio eorum, qui ſpiritus vel malignos vel indifferentes ſibi ridiculo & plane impio modo ſubjicere cupiunt, vocaturque *conjuratio Dæmonum.*

3. *Quando auctoritas humana pro norma veritatum philoſophicarum ac theologicarum habetur*, ſic ſuperſtitioſe magni alicujus Philoſophi aut Theologi dogmata ceu infallibiliter vera reputantur, quo ſuperſtitionis genere laborant non ſolum plurimi Muſarum cultores, ſed etiam Pontificii, qui cleri traditis ſine ulteriori ratiocinatione ſtandum eſſe credunt: inde oritur *fides carbonaria.*

4. *Quando effectus naturales pro miraculis & præſagiis futuri mali vel boni reputantur.* Sic & offuciæ Agyrtarum, aſpectus cometarum, aliaque meteora ſuperſtitioſis ſunt miracula, & ex noctuarum ejulatu, canum ululatu, atque aurium tinnitu &c. &c. ſuperſtitioſi fauſtum vel infauſtum deſumunt omen.

5. *Quando futura ex incertis ſignis indagantur & determinantur, cum præſentia modo intelligere datur.* Huc pertinet Aſtrologia, Chiromantia, Geomantia &c.

6. *Quando homines felicitatem ac ſanitatem ſuam mediis abſurdis*, utpote certis verbis ac characteribus &c. *promovere cupiunt.* Huc pertinent etiam *figuræ talismanicæ.* §. 4.

§. 4. Ex allegatis exemplis apparet superstitionem esse vel *crassam* vel *subtilem*, dum una præ altera majorem ignorantiæ gradum supponit. Hoc autem superstitionis malum vix occupabit mentes eorum, *qui vires rerum creatarum bene perscrutantur, nec pri⁹ effectum alicui causæ attribuunt, quam nexum inter causam & effectum clare percipiunt*: proinde ad quæstionem, quam alii ventilant: *Quænam hominum species ad superstitiosas opiniones naturaliter sit maxime proclivis*? Respondemus, quod, quia superstitio dependet utplurimum a potentiarum naturalium ignorantia, omnes homines, quacunque passione dominante præditos, superstitiose sentire possunt, quamdiu rerum ignorantia laborant. Sed semel ex ignorantia conceptas opiniones superstitiosas retinent omnium maxime, in quibus *metus* prædominatur, qui utpote sunt *Melancholici* & *sanguinei*, cum contra *cholerici* ob innatam judicii acrimoniam & curiositatem se a superstitione facilius liberare soleant.

§. 5. Quando porro eruditi comparationem inter Atheismum & superstitionem instituunt, ex illis *Baco de Verulamio* & cum hoc *Dn. Bayle*, *Tschirnhausen* & *Thomasius* pronuntiant.

1. *Quod superstitio stolidior & pejor sit Atheismo.*

2. *Quod Atheismus sit stultitia ingeniosa*: proinde

proinde Atheum comparant cum *simea*, quæ aliquid cum humanitate, aliquid cum bestiis commune habet.

3. *Quod superstitio sit stultitia absurda*: hinc superstitiosum porco assimilari statuunt, qui ne quidem ad sagacitatem animantium excitatioris indolis assurgit. Enim vero meo quidem judicio *Atheismum variis modis pejorem superstitione* reputo, *partim* quia Atheismus, si quis est, supponit in homine summum nequitiæ gradum, cum e contrario superstitio includat metum Numinis, & conjuncta ut plurimum sit cum sincera Deum agnoscendi & colendi intentione; quamvis intellectus ob præjudicium suique imbecillitatem hic aberret; *partim* quia Atheismus omnem pacificam societatem inter homines tollit, & vim legum tam naturalium quam civilium infringit, cum superstitio hic sæpe contrarium efficiat.

§. 6. Verus tamen sapiens *Atheismum & Superstitionem* ceu extremos scopulos omni modo evitare studebit, utpote in quibus felicitatis suæ naufragium procul dubio faciet; & quamvis in his postremis temporibus plurium laudanda opera eo tendat, ut per studia Philosophiæ rationalis, naturalis & moralis ex hominum mentibus & Atheismus & superstitio tanquam *fontes omnis malitiæ & stultitiæ* eliminentur, nescio tamen, quo fato accidat, ut loco

Atheismi inter Christianos regnare incipiat *Naturalismus* ac *Epicureismus*, & loco superstitionis *Fanaticismus* ac *Enthusiasmus*.

Sectio II.
de
Attributis Dei in genere & specie.

CAP. I.
de
Attributis divinis in genere.

§. 1.

HActenus, *quod Deus sit*, contra Atheos probavimus, pleniorem autem de eo cognitionem nobis conciliabimus, quando videlicet ipsius attributa, quotquot eorundem ex inspectione rerum creatarum per justum mentis ratiocinium intelligi possunt, singulatim perpendamus. *Attributa* autem Dei vocamus *illas in ipso perfectiones, quæ ex definitione* (quam Scholastici vocant conceptum primum) *fluunt, quæque ex consideratione perfectionum in creaturis deprehensarum colliguntur*; Dicuntur ideo Scholasticis *conceptus secundi*, quibus Deum inadæquate modo sub hac, modo sub illa perfectione concipimus.

§. 2. Hic autem communiter tres constitui solent

solent viæ, per quas in notitiam attributorum divinorum venire datur, utpote

1. *Via causalitatis*, quando a contemplatione creaturarum tanquam eb effectibus ad causæ primæ, quæ Deus est, cognitionem descendimus.

2. *Via eminentiæ*, quando deprehensæ in creaturis perfectiones attribuimus Deo, sed in gradu summo ac eminentiori.

3. *Via negationis*, quando deprehensæ in creaturis imperfectiones a Deo removentur. Sed, si dicendum quod res est, viæ eminentiæ & negationis sunt quidem occasiones cogitandi de Deo, ast demonstratio eorum, quæ de Deo cogitantur, fit per *viam causalitatis*, siquidem omne id, quicquid neque error, neque peccatum, neque nihil, pro S. Numinis operatione & effectu haberi debet.

§. 3. In via causalitatis autem processus datur sequens: Suppono axioma supra datum: *A nihilo nil esse*, inde efficitur, quod, quicquid alterius causa est, id in se contineat omnia illa, quæ in effectu deprehenduntur, alioquin enim hæc a nihilo esse, statuendum esset, quod absurdum. Cum autem usu & experientia constet, multa in effectis reperiri, quæ *formaliter* in eorum causis haut dantur; ista consideratio invexit distinctionem inter id, quod *formaliter*, & inter id, quod *eminenter* in causa continetur. Proinde plures creaturarum

perfectiones non semper formaliter, sed modo *eminenter* i. e. in perfectiori gradu & citra ullam imperfectionis notam Deo attribui possunt.

§. 4. Ne autem in judicio de eo, *quid perfectius* est, hallucinemur, observa, semper *melius & perfectius judicandum id, in quo plus positivi concipimus* E. g. sic melius ex uno ac simplici actu cuncta intelligere, quam rationis discursu quædam ingenio assequi. Qui itaque priori perfectione præditus, de eo recte affirmatur, eum eminenter in se complecti ratiocinandi facultatem, atque ita causam esse posse istius facultatis in alio. Et quia vivere sit melius quam non vivere, patet, illud, quod non vivit, haut posse eminenter in se continere perfectiones viventis, proindeque nec ejus causam esse.

§. 5. Distinguimus autem attributa divina in

I. *absoluta*, quæ de Deo concipiuntur *citra relationem ad creaturas*, utpote sunt *spiritualitas, sufficientia, æternitas, immensitas, omniscientia, omnipotentia, unitas, simplicitas.*

II. *Respectiva*, quæ Deo *in relatione ad creaturas* competunt; Hæc rursus sunt vel

1. *Physica*, quæ *essentiam* respiciunt, utpote *creatio, conservatio & providentia* &c.

2. *Moralia*, quæ *voluntatem* respiciunt, utpote sunt *bonitas, justitia, veracitas.*

§. 6.

§. 6. De his attributis, quomodo inter se & ab essentia divina differant, multa magis subtiliter quam utiliter Scholastici disputant. Ex infra demonstranda Dei simplicitate intelliges, eadem *non in se, sed secundum nostrum concipiendi modum differre*, cum impossibile sit, ut uno mentis actu totam Dei perfectionem nobis præsentemus, sed necesse esse, ut per sæpe repetitos mentis conceptus semper aliquid ex perfectione Dei complectamur.

CAP. II.
De
Vita Dei sive ejus spiritualitate.

§. 1.

PEr *spiritualitatem* intelligo illam Deo competentem *perfectionem, secundum quã ille sui est conscius, intrinsecaque gaudet activitate*; Vocatur alias *vita*, utpote per quam differt a re corporea.

§. 2. Et sic intelliges ea, quæ in sacris de *vita Dei* s. *Deo vivente* dicuntur. Etenim quando Deus inquit: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris*, hoc sibi vult: Conscius sum mei & eorum, quæ in me sunt, adeoque scio & conscius sum, illud in me non esse, nempe velle mortem peccatoris sed sum conscius, quod velim, ut vivat. Item consuetum jusjurandum, So wahr GOtt lebet: vi theseos

ita explicandum: Deus, qui suæ justitiæ & potentiæ ad vindicandum malum conscius, scit, me hoc vel illud sincere cogitare.

§. 3. Hance spiritualitatem Deo attribuimus ob illam rationem, quia mentes humanas analogica hac perfectione instruxit; etenim, cum vi axiom. 1. in effectis esse nequeat, quod non antea fuit vel formaliter vel eminenter in causa, absurdum esset, vitam Deo, tot entium viventium creatori abjudicare. Vita autem Deo competens involvit hæcce duo: (1) *vim agendi in se*, (2) *vim efficiendi & penetrandi res extra se.*

§. 4. Contra hanc a nobis stabilitam veritatem peccant omnes, qui Deum ut corporeum sibi imaginantur.

CAP. III.
De
Sufficientia Dei, quam Scholastici vocant Aseitatem.

§. 1.

PEr *sufficientiam* intelligo illam Dei *perfectionem, secundum quam virtute naturæ suæ absque alterius interventu existere sufficiens fuit, ea de causa vocatur* Deus *ens a se* i. e. tale, quod consideratur tanquam *habens sui efficientiam in se ipso*; cum enim causa definiatur, per id, cujus vi res est, illius entis tam immensa agnoscitur

scitur vis essentialis atque vigor, ut nulla alia re externa vel a se distincta indigeat, qua possit esse, sed suis propriis viribus existat.

§. 2. Ut autem entis a se ipso existentis naturam penitius intelligas, observa

1. *Quod ens, in quo vel minima imperfectio, non sit a se ipso*; etenim quæ res non excludit *parvam imperfectionem*, illa nec includere poterit *parvam* ei oppositam *perfectionem*; quodsi autem hoc, quomodo excludere poterit omnium *maximam imperfectionem, videl.* το *non-esse*, & includere omnium *primam* & præcipuam realitatem sc. το *esse*

2. *Quod proinde ens a se ipso omnes excogitabiles perfectiones possideat*; etenim qui includit maximam perfectionem, videl. *a se existere*, ille ut reliquas omnes in se contineat necesse est, siquidem clarum, ut qui sibi majus largiri queat, etiam sibi det minus.

3. *Quod ens, a se ipso, existat necessario*, etenim quia nil inter ipsius essentiam & existentiam intervenit, cujus ope existat, simul patet, ipsius existentiam esse de ratione essentiæ, & quoniam ens a se est perfectissimum, & sufficientem in se rationem suæ existentiæ continet, non potest vel *contingenter* vel *fortuito* sed potius *necessario* existere.

§. 3. Esse autem Deum ens sibi sufficiens ac a se existens, vel inde satis firmiter probo, quoniã alias nunquãpotuissettot entia producere, siquidem

dem impossibile, ut ille, qui sibi ipsi esse dare nequit, aliis esse concedere posset.

§. 4. Et inde est

1. *Quod Deus sibi soli acquiescat, nullaque re extra se indigeat,* proinde nec *desiderium* ei tribui possit.

2. *Quod Deus in S. Scriptura se vocet* יהוה, *& in responsione Mosi facta dicat: sum qui sum* i. e. sum ita perfectus, ut existentiæ meæ ratio sit, *ego ipse,* non diversa, non separabilis a me ipso.

CAP. IV.
De
Æternitate Dei.

§. 1.

QUando cogitamus de existentia rei prout durat, nobis obversatur *idea durationis,* quæ quando principio & fine caret, dicitur *æternitas* infinita.

§. 2. Ubi Cartesiani distinguunt durationem in *permanentem* & *successivam*; *hanc* vocant, *quæ habet partes sibi invicem succedentes,* attribuuntque *creaturis*, siquidem non solum in materia, sed etiam in mente nostra satis clare deprehendamus cogitationum successionem, dum priores cogitationes non manent, sed evanescunt, posterioribus succedentibus. *Illam* dicunt, *quæ absque ulla successione est*, attribuuntque DEO, quandoquidem existentiæ divinæ partes nullæ sint, quæ sibi invicem succedunt,

cedunt, sed potius ita connexæ, ut nullo modo possint a se divelli. Proinde nulla *immutatio* erit in perfectionibus Dei, ex quibus nullam *amittit*, vel *acquirit*; neque erit *senior*, neq; *major* erit duratio post 100000. annorum; si enim infinito addatur finitum, prius non fit majus infinitum quam antea.

§. 3. Æternitas Dei fluit immediate ex ejus *sufficientia*; etenim si esset unum temporis momentum, in quo purum nil fuisset, sane ut aliquid postea existere inciperet, impossibile esset, dum a nihilo nil fieri queat. Ergo Deus nullum initium habet, quo ipso simul illū nullum finem habere, affirmas, neque enim se ipsam in nihilum rediget natura, quæ ab æterno fuit.

CAP. V.
de
Immensitate & Infinitate Dei.

§. 1.

Immensitas est, *qua Deus essentiæ limites nullos habere, & sic spatio circumscribi* haut posse, concipitur.

§. 2. Hanc perfectionem Deo attribuimus ea de causa, quod *extensio* nobis videatur *immensa*; absurdum enim esset, Deum, qui omnibus possibilibus gaudet proprietatibus, qui-

que extenſionem in ſe pigram & immotam agitat, ab extenſione ſuperari, ita quidem ut partes extenſionis divinæ eſſentiæ limites darent, quod tamen ſequeretur, niſi Deus eſſet immenſus, vel niſi poſſet ex ſe agere per indefinitam extenſionem.

§. 3. *Modus* autem, quo Deus extenſioni præſens eſt, & in eandem agit, determinari nequit: Mundi tamen qualis eſt exornatio, legumque motus in natura poſitarum conſervatio ſatis manifeſte Deum immenſum teſtantur.

§. 4. *Infinitas* Dei eſt, ſecundum quam ejus *attributa* ſ. perfectiones in *numero* & *gradu* nullos habent limites. Proinde Deo, quæ attribuitur infinitas, dicitur *infinitas perfectionis*. *Numero* infinitæ ſunt Dei perfectiones, dum omnes excogitabiles perfectiones poſſidet, quæ numero exhauriri nequeunt. *Gradu & intenſione* infinitæ ſunt perfectiones, dum tantus perfectionis gradus concipi haut poterit, quin in Deo detur major, proinde ejus perfectionibus nil addi poteſt.

§. 5. Quod autem Deus ſit infinitus, id ſatis clare colligitur ex ferme *infinitis entium generibus*, *infinitisque eorum gradibus*, qui inter Deum & nihil deprehenduntur. Sane qui vel prima Philoſophiæ naturalis elementa novit, is indefinitos perfectionum gradus in materia hujusque modis cognoſcet, nonne indefini-

finita materiæ divisibilitas, summaque motus celeritas infinitam Dei potentiam, nonne summa artificialis! indefinitorum membrorum compositio in humano corpore infinitam Dei sapientiam arguunt?

§. 6. Ex immensitate Dei necessario fluit ejus *omnipræsentia*; hæc enim est attributum relativum, nil aliud importans, quam *immensitatem ad creaturas relatam.*

CAP. VI.
De
Intellectu & Omniscientia Dei.

§. 1.

DEum intellectu esse præditum, *partim* ex eo, quod homines intelligendi facultate sint instructi, *partim* ex mirabili mundi dispositione apparet. Posset autem hocce inter Deum & hominum cognitionem constitui discrimen,

1. *Nos totam nostram naturam notam non habere; Deum vero totam suam naturam intellectione exhaurire.*

2. *Nos ab objectis materialibus perculsos sentire; at Deum absque mutatione ab objectis facta omnia nosse.*

3. *Nos rerum qualitates interventu idearum intelligere: Deum autem citra ideas cognoscere.*

4. *Nos pauca simplici intuitu intelligere posse, dum pleraque per demonstrationum prolixarum ambages sint quærenda; Sed Deum uno intuitu omnes res harumque relationes inter se intelligere.*

5. *Nos multa simul intelligere haut posse, Deum vero unico actu omnia percipere. Ex quibus patet, multum quidem intelligentiam Dei a nostra differre, quam tamen plenius describere, vires humanas superat.*

§. 2. Omnia sub cognitionem cadentia possunt ad quatuor classes referri, videl. (1) *præteritorum*, (2) *præsentium* (3) *possibilium* & (4) *futurorum.* E quibus homines quædam horum certo cognoscunt, plurima dubie, innumera nullatenus, DEI vero cognitionem ad illa omnia pertingere, ita probo. Etenim

(1) *Præterita Deum nosse*, quia omnia fecit, facile intelligi potest.

(2) *Præsentia Deum nosse*, quia omnipræsens, etiam palam est.

(3) *Possibilia omnia a Deo cognosci*, nemo negabit, qui meminerit, Deo rerum naturas intime esse perspectas, proindeque pleniſſime scire, quid earum ope fieri possit.

(4) *Futura* sunt vel *necessario eventura*, utpote quæ secundum mechanicas motus leges in materia accidunt; vel *contingentia*, quæ sc. a libera mentium determinatione dependent. Priora quin Deus cognoscat; dubitari nequit,

qui

qui enim ipse machinam aliquam produxit, cujus partes omnes perfecte novit, harumque inter se dispositionem intelligit, is simul Machinæ effectus certo prævidere & prædicere poterit.

§. 3. Major vero difficultas occurrit circa *futura contingentia.* Dicuntur enim contingentes effectus, qui prorsus indifferentes & veluti in æquilibrio sunt, ut tam facile quear evenire, quam non. Qui negant, contingentia Deo esse ante eventum cognita, illi ajunt *eventus esse ejusmodi naturæ, ut repugnet eos a Deo præcognosci,* quoniam id quod minime fixum, a Deo ut fixum prævideri, implicet. Ideo ad objectionem, quod sic scientiæ divinæ termini ponerentur, regerunt, hoc modo illam non magis limitari, quam ipsius potentiam, dum negatur, repugnantia a DEO fieri posse.

§. 4. Alii, qui eventus contingentes a Deo prævideri & prædici posse statuunt, nituntur illo fundamento, *quod alias Deus quotidie doctior fieret*, quo ipso divinæ perfectioni non parum derogaretur. Proinde *Cartesius* Lib. de Princ. §. 41. *satis clare*, inquit, *scientiam, qua omnia ab æterno præscivit ac voluit, Deo competere, ac esse infinitam, cognoscimus; non autem satis comprehendimus, quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat: nihilominus libertatis & indifferentiæ, quæ in*

nobis est, nos ita conscii sumus, ut nil sit, quod evidentius comprehendamus. Absurdum itaque esset propterea, quod non comprehendamus unam rem, quam scimus esse incomprehensibilem, de alia dubitare, quam intime comprehendimus, atque apud nosmet ipsos experimur.

§. 5. Denique circa intellectum DEI Dn. Poiret tres distinctas sibi formavit ideas.

1. *Intelligentiam*, quam vocat necessariam & adæquatam sui ipsius notitiam.

2. *Scientiam*, quam dicit liberam & infinitam rerum extra se positarum tam præteritarum quam præsentium, tam possibilium quam futurarum cognitionem.

3. *Sapientiam*, quam appellat perfectissimum illud judicium, secundum quod Deus in mundo materiali & mentali omnia reliquis suis attributis convenienter constituit, aptissimaque media, finem constitutum promoventia ordinavit, ut nil inordinati & incongrui ibidem reperiatur.

§. 6. Et quoniam præcipua sapientiæ nota est, ut *omnia non solum cum ordine sed etiam per vias simplicissimas* peragantur, Dn. *Malebranchius* demonstravit, etiã Deum in suis operationibus semper egisse *via simplici & breviori*, sequentem in modum: Supponit, Deum tantum velle, ut corpus (a) pellat corpus (b), & quia novit (a) posse impingere in (b) per unicam lineam rectam, sed per innumeras lineas

neas curvas, vi sapientiæ tamen corpus (a) versus (b) transferet tantum per lineam rectam; si enim id efficeret per lineam curvam, ferme duplo plus actionis & operationis deberet adhibere, cum linea recta semper curva sit longior, & proinde dimidia pars actionis divinæ foret prorsus inutilis, ac consequenter sine consilio & fine, quod de ente sapiente non debet prædicari.

§. 7. Hic etiam quæri solet. *An ex DEI sapientia omnia ita bene constituta sint, ut nil melius a DEO fieri potuerit?* Resp. quod facile percipiatur, res *perfectiores* i. e. plures realitatis gradus possidentes potuisse a Deo fieri, ob ipsius omnipotentiam, sed etiam facile intelligatur, Deum omnia & singula quam sapientissime constituisse, ita ut concipi haut possit, ipsum sapientius agere potuisse scil. *respectu finis sui, quem in creatione intendit.* Exinde simul intelliges, quare Deus noluerit omnia possibilia existere. Specialiora afferre modo ille demum poterit, cui & creationis finis & rerum natura est perspecta; etenim nobis utrumque ignorantibus accidere potest, ut judicemus aliquid a scopo, quem nobis imaginati sumus, deviare, quod tamen cum vero scopo, quem ignoramus, optime conveniat.

CAP.

CAP. VII.
De
Voluntate & Potentia Dei

§. 1.

DEUS exerit voluntatem suam, inductus rationibus sapientissimis, naturæque suæ consentaneis. Quomodo autem Deus vult, diversimode statuitur. Platonici olim crediderunt, Deum agere in creaturas *virtutis effluvio*, sed cum nequeant docere, quodnam sit hoc effluvium, nil dicunt; Proinde nos statuimus, tantam esse Dei volentis vim & efficaciam, ut posito illum *velle has vel illas res, hoc vel illo modo existere*, eo ipso, quod hoc velit, res tales fieri; nisi enim hoc ita se haberet, necessario aliquid majus & perfectius Deo statuendum esset, quod ejus voluntatem infringeret. Et hæc divinæ voluntatis virtus sub nomine *potentiæ* venit.

§. 2. Hanc Dei potentiam statuimus *infinitam*; etenim Deum habere majorem quam nos potentiam, patet inde, quia fecit nos, quod ipsi nequimus, & si cogitamus, Deum ab æterno ex virtute naturæ suæ exstitisse, omnesque res ex nihilo produxisse, facile devenimus, ut ejus potentiam infinitam agnoscamus, qui enim a se existit, quique rem a non-esse ad

esse

esse, dum hi termini infinite distant, revocat, non potest non infinita gaudere potentia.

§. 3. Infinita itaque Dei potentia se extendit *ad omnia objecta*; ubi voce *omnia*, non complectuntur ea, quæ fieri natura sua nequeunt, sed quæ *rationem possibilitatis* habent. Quando enim hic quæritur, (1) *an Deus se possit abnegare ac mentiri, item* (2) *an Deus efficere possit, ut aliquid sit & non sit*, respondemus ad primam quæstionem, quod si illa facere posset, non pro omnipotente sed impotente habendus esset; ad secundam regerimus, quod sit propositio, quæ omni sensu destituta, nullam realitatem ponat; jam autem stolidū esset, non entia & quæ nulla realitate gaudent, potentiæ divinæ objectum facere, cum potentiæ objecta realia esse debeant.

§. 4. Qui autem omnipotentiam divinam impugnant, huic brocardico innituntur: *quod nil possit fieri ex nihilo*. At vero falsissimum hoc est, cum non implicet rem produci ex nihilo, imprimis si vox *nil* consideretur, non ut *causa* vel *materia* entis producendi, sed ut *status præcedens* productionem entis. Posse itaque Deum ex nihilo res producere, adstruunt sequentes rationes, (1) quia, ut supra jam ostendimus, impossibile est, materiam a seipsa esse; ergo erit a Deo, non autem ex ejus essentia, quæ est immaterialis, proinde ex nihilo, (2) quia nos homines habemus vim novas cogita-

tiones faciendi, nobisque attrahendi habitus morales, intellectuales & corporales: dum itaque nos ceu entia imperfecta novos habitus & modos possumus producere, probabile est, ens summe perfectũ posse producere substantias.

§. 5. Affectio voluntatis divinæ dicitur *Libertas.* Hæc communiter solet dispesci in libertatem *indifferentiæ* & *spontaneitatis*, sed quoniam DEUS ob naturæ perfectionem non nisi rationibus sapientissimis inductus agit, *spontaneitas* quidem non vero indifferentia ei attribui potest.

CAP. VIII.
De
Unitate Dei.

§. 1.

VUlgus gentilium plures Deos, quinimo infinitum ferme numerum credidit, quorum maxima pars inter homines vixit, qui post mortem a cœca plebe adorati sunt, quod sibi persuaserint, animas post mortem potuisse obtinere locum inter Deos; proinde in communi sermone gentilium sapientiorum vox *Dii* iis nil aliud significavit, quam entia humana naturæ excellentioris; facile enim intelligebant, esse tantum *unum* summum ens, id quod sequentia demonstrabunt.

§. 2. Homo, quando se considerat, deprehendet, sibi non inesse omne perfectum ac omne creabile; hinc non excludit infinita alia

sui

sui similia. Sed Deus, cum sit omnimode perfectus, omnes perfectiones & realitates excogitabiles in se simul includit, ideoque non potest non sui simile excludere, & consequenter *unicus* esse.

§. 3. Porro unitas Dei ex hac ratione conficitur: Si plures essent Dii, tum vel convenirent in una essentia, vel non convenirent; Si *posterius*, uno habente veram essentiam divinam, cæteri non essent Dii; si *prius*, sequeretur, quod quia essentia ab existentia non differt, etiam conveniant in una existentia, adeoque unũ existant, & sic non essent plures sed *unicus* Deus.

§. 4. *Plato*, ut demonstraret unum rerum omnium principium, a proprietate unius & multitudinis s. numeri processit, *nam* inquit, *sicut ablato uno, multitudo sive numerus non est; sic remoto uno primo entium multorum principio, entia alia non essent. Prouti ergo ex positione numeri & multitudinis concludimus necessitatem unitatis, sic ex positione multorum entiũ, concludendum est, unum omnium entium principium.*

§. 5. Dn. *Coudworth* in System. Intell. c. V. ita probat unitatem Dei. *Quod*, inquit, *existat unus Spiritus & intelligentia, inde clarum est, quoniam omnes creatæ mentes participant de ejus intellectione, inde accidit, ut omnes mentes tot diversissimorum hominum, a tot seculis existentium, habeant easdem rerum ideas, easdemque veritates evidentes, utpote quæ multitudine homi-*

num non multiplicantur, sed potius in tot millibus hominum una manet veritas. Quodsi itaque essent plures intelligentiæ independentes, non posset concipi, quomodo concordassent in iisdem veritatibus, potuissentque habere communem veri & falsi regulam.

§. 6. Dn. *Hale* libro vom Uhrsprung der Menschen / unitatem Dei demonstrat ex rerum materialium *convenientia ad facultates nostras sensitivas*, secundum quam omnes res materiales in omnibus hominibus vel *visu*, vel *auditu*, vel *olfactu*, vel *gustu*, vel *tactu* percipi queant, quod tamen fieri haut posset, si essent plures Dii independentes, siquidem procul dubio alter cum relatione ad olfactum, quod alter cum relatione ad auditum, creasset.

§. 7. Dn. *Sturmius* pro stabilienda Dei unitate hoc utitur ratiocinio. Si plures forent Dii, tum aut possent illi occultare sibi mutuo proprias cogitationes, aut non possent; si *illud*, non essent pariter omniscii, si *hoc*, haut essent pariter omnipotentes, adeoque utroque casu non essent Dii.

§. 8. Et sic demonstravimus unitatem Dei ceu causæ supremæ; hoc tamen non obstat, quin possint esse *multæ inferiores causæ*, per quas veluti ministros & instrumenta causa causarum omnium omnia regat & administret. Inde enim enata est πολυθεΐης veterum Ethnicorum, qui, quamvis multos inferiores

cre-

crederēnt esse Deos, unicum tamen eōrum Patrem agnoscebant.

§. 9. Quando autem S. Scriptura nobis Deum ut *Trinunum* exhibet, lubenter confitemur, quod ratio nostra sibi relicta ad cognitionem hujus mysterii nullo modo pertingere queat. Sunt tamen inter eruditos haut pauci, *qui hocce Trinitatis mysterium ex naturali ratione satis probabile reddere præsumunt*, proindeque idem & ab ipsis gentilium Philosophis creditum esse præsumunt. Eum in finem allegare solent partim *Mercurium Trismegistum*, qui expresse mentionem facit Trinitatis, partim *Platonem*, qui in divinitate tres hypostases admittit. Sed vero a dictis Scriptoribus nil minus quam Trinitatem stabiliri, vel inde patet, quod scripta sub Trismegisti nomine exstantia ab eruditis supposititia habeantur, quodque Plato traditionibus nimium confidens sæpe scripserit ea, quæ ipse haut intellexerit.

§. 10. Argumenta, unde ex naturali ratione Trinitatem nonnulli probare satagunt, a variis varia allegantur.

1. *Keckermannus, Mornæus &c.* hac utuntur demonstratione, quod cum in homine deprehendatur *intellectus*, *voluntas & memoria*, iste vero ad Dei similitudinem sit conditus, facile intelligatur, etiam in Deo *tres* diversos *modos* dari, qui Deum nobis ut *trinunum* exhibeant.

2. Dn. *Grew.* in *Cosmol. Sacra* ita argumentatur: Deus, *inquit* tanquam ens vivum non potuit non cogitare, itaque non solum ab æterno *exactissimam de se ipso fecit ideam*, utpote quæ simul existentiam necessariam & æternam habuit, (& par hanc intelligit *Filium*, qui ceu imago realiter debeat esse distincta a Deo, quandoquidem nil sui ipsius imago esse queat) sed etiam necesse fuit, ut haberet *ideam æternam omnium entium possibilium*, juxta quam omnia fuerint creata, (& per hanc intelligit *Spiritum S.* qui similiter ex DEI essentia ab æterno processerit.)

3. *Pater Malebranchius*, in Tract. Moral. putat, omnes tres personas non potuisse non imprimere suos proprios characteres in hominum mente, ita ut a *Patre*, cui competit *potentia*, habeamus, quod effectus producere possimus, a *Filio*, cui competit essentialis *sapientia*, habeamus vim intelligendi, a *Spiritu S.* cui competit essentialis *amor*, habeamus vim volendi. Et proinde ex his tribus probabile judicat, *Deum esse Trinunum.*

4. Dn. *Poiret* ceu sat firmam thesin stabilire conatur, *quod ex consideratione solius naturæ divinæ in ipsa sanctum aliquod Trinum cognosci queat*, eumque in finem ita ratiocinatur: Ens, *inquit*, intelligens & perfectissimum, nisi haberet essentialem sui ipsius ideam atque imaginem, (quæ *filius* ipsi vocatur) non esset

esset ens perfectissimum, quippe cum alias laboraret sui ignorantia, quod absurdum; idemque ens, nisi huic perfectissimæ sui ideæ acquiesceret, & in se haberet *gaudium erga se æternum*, (quod vocat *Spiritum S.*) a seipso divisum esset per indifferentiam, quod æque absurdum esset.

§. 11. Et hujus Trinitatis notas impressas esse nostris mentibus credit Poiret, dum mens humana, sui ideam in se producens, & eandem intuens, necessario amore trahatur erga sui perfectiones cum gaudio & acquiescentia. Quoniam itaque hæcce tria (1) *Vita s. cogitatio*, (2) *sui imago s. intelligentia*, (3) *sui acquiescentia s. lætitia* ad unam tamen pertinent numero essentiam animæ, haut difficulter intelligi posse, præsumit, quomodo in Deo illi *tres modi*, ut vocat, *substantiales* se habeant, unamque essentiam divinam constituant.

§. 12. Porro statuit Dn. Poiret, *quod Deus in revelatione S. S. Trinitatis intenderit, ut sciant homines, quomodo erga illos sit affectus, quid pro illis egerit, agat, & acturus sit.* Deum autem in S. S. Trinitatis expressione diversis uti verbis putat ideo, ut homines quocunque modo ad Trinitatis imitativam notitiam reducantur. Exprimitur itaque secundum Auctorem eadem.

1. Per

1. 1. Per *ſummum Dominum & Creatorem Mundi*, ut intelligant homines, ſe Deo eſſe ſubjectos, & ad parendum obligatos.
2. Per *ſapientiam*, ut intelligant homines, quod per Deum ſapiant, & per ſe ipſos deſipiant.
3. Per *Spiraculum*, ut intelligant homines, quod per Dei virtutem omnia vegetentur.

2. 1. Per *Patrem*, ut hominibus pateat, quod a Deo paterne curentur.
2. Per *Filium*, ut hominibus pateat, quod eos tanquam fratres amet.
3. Per *Spiritum S.* ut hominibus pateat, quod eos in ſanctitate jungat & regat.

3. 1. Per *Judicem* ut homines ſciant, quod coram Deo ſuorum factorum rationem reddere, & vel præmia vel pœnas exſpectare debeant.
2. Per *Redemtorem*, ut homines ſciant, quod ex Dei virtute a peccato, morte & inferno ſint liberati
3. Per *Conſolatorem*, ut homines afflicti ſint certi, Deum pro tot devoratis calamitatibus ſolamen æternum in ſummo gaudio eis præparaturum eſſe.

§. 13. His Auctor ſubjungit hæcce corollaria.

I. *Quod maxima pars eorum, qui S. Trinitatem modo verbis profitentur, ejus vera & salutari notitia careant, quia negligunt scopum, propter quem Deus se Trinunum revelaverit*; Proinde revera abnegant Trinitatem, qui Deum ut Patrem ac Dominum filiali reverentia & obsequio non prosequuntur, Deo ut Filio & sapienti non confidunt, Dei ut Spiritus S. regimini se non subjiciunt: It. qui DEum ut judicem non timent, ejus redemtionem grato animo non agnoscunt, ejusdemque solamine non delectantur.

II. *Quod simpliciores ab aliis sæpe habeantur ceu tales, qui Trinitatem ignorant & abnegant, cum tamen veri ejusdem sint confessores.* Etenim Auctor putat, illum, qui ignorantia Trinitatis simplici laborat, Deo tamen ut Domino obedit ac timet, ut sapienti confidit, ejusdemque efficaciæ omnia refert accepta, pro genuino Trinitatis confessore habendum esse.

CAP. IX.
de
Immutabilitate & simplicitate Dei.

§. 1.

GEnerale attributorum divinorum vinculum

lum est *Dei immutabilitas*, qua fit, ut neque quicquam acquirat, quod non habuit, neque quicquam perfectionis amittat.

§. 2. Hanc affectionem Deo competere inde apparet, quia ut supra probavimus, *Deus a se est*, & nulla alia causa ad existendum indiguit, proinde non potuit non omnes excogitabiles perfectiones in summo gradu sibi largiri: Quas autem semel habet, illas amittere nequit, quandoquidem ejusmodi ens uti Deus voluntario perfectiones suas haut abjiciet, multo minus ab alio ente iisdem spoliari poterit.

§. 3. Immutabilitas autem Dei potest duplici modo considerari, partim *respectu divinæ essentiæ*, partim *respectu decretorum divinorum*. Illa quidem ex dictis facile intelligitur, sed hæc, *quæ* involvit, *ne Deus quoad voluntatem ex eventibus inopinis decreta & consilium mutet* intellectu difficilior. Negamus tamen de Deo mutationem consiliorum & decretorum, quæ fiunt *ex eventibus inopinis*, uti sæpe contingit nobis hominibus. E. g. *Belli Ducibus, Consiliariis, Nautis, mercatoribus &c.* & quidem ideo, quoniam supponit ignorantiam, quam de Deo supra jam removimus. Lubenter tamen concedimus, Deum *consilium mutare in re, quam sub conditione decrevit*, quare non potuit non decretam Ninivitarum desolationem intermittere. Hæc autem muta-

mutatio nil habet, quod Deum dedeceat, quorsum etiam refero, quod *Deus a potentia ad actum transcendat*, cum id non in ipso *Deo* sed in *objecto externo* producat mutationem.

§. 4 Magnam cum immutabilitate Dei affinitatem habet ejus *simplicitas*, quæ a Metaphysicis compositioni omnigenæ opponitur. Et sic statuunt, (1) nec *Deum ex genere & differentia*, (2) *nec eundem ex actu & potentia*, nec (3) *ex subjecto & accidentibus esse compositum.*

§. 5. Enim vero Dn. Poiret missis nugis Metaphysicis, quibus vulgo simplicitatem Dei negative designant, illam sibi concipit ceu talem affectionem, per *quam omnes, quas Deus possidet perfectiones, non solum simul sunt in illius natura actu præsentes*, *ac* indivisim *unitæ, ut nulla deesse possit, sed etiam, quod illæ ita unitæ sint, ut una sit altera*: imo *una sit omnes, & omnes sint una propriissime* E. g. Vita est æternitas, potentia, scientia &c.

§. 6. Et quamvis in nullis rebus creatis tale simplicitatis exemplum appareat, umbra tamen illius partim in materia, partim in mente humana deprehenditur; unde majorem simplicitatis divinæ gradum facile colligere possumus. Etenim extensio, soliditas, & mobilitas ita inseparabiles sunt a *materia*, ut omnes & singulæ, in omnibus & singulis materiæ partibus deprehendantur, & in *mente* est eadem cogitandi vis, qua intelligo, quam qua volo, imaginor, sentio, &c. &c.

CAP. X.

De
Attributis relativis.
& quidem
Dei creatione.

§. 1.

JAm progredimur ad Dei attributa *respectiva*, quæ de ipso *extrinsece* prædicantur *in relatione ad res extra se positas*, ita tamen ut extrinseca attributa supponant, quorsum pertinent *creatio*, *providentia*, & *incomprehensibilitas*.

§. 2. *Creatio* est non solum prima alicujus substantiæ & modi primarii a Dei voluntate *positio*, sed etiam modorum in aliqua substantia *mutatio* per vias extraordinarias & miraculosas, sine quibus modi illi non tam cito vel non omnino secuti fuissent. Sic creatio est non solum, cum Deus chaos ex nihilo produxit, sed etiam cum homines ex luto formavit, itemque cum mutat mentem hominis Deum ignorantis nec ipsum amantis in noscentem & amantem.

§. 3. Primam rerum creationem fuisse ex *nihilo*, patet inde, (1) *quia nil neque in spiritibus neque materia videmus, quod eorum æternitatem prodit* & (2) *quoniam tam spiritus*

quam

quam materia laborant ejusmodi defectibus maximis, ut iis tribuere præstantissimam sc: æternitatem, absurdum esset, unde sequitur, quod sint *ab alio*, qui eis proprietates, quas voluit, attribuit. Si hoc, omnia etiã sunt ex nihilo educta, siquidem contra Spinozam in præcedentibus jam demonstravimus, quod non sint ex Dei essentia. Potuisse autem Deum ex nihilo aliquid producere, itidem supra probavimus; quibus addimus, quod quia Deus gaudet potentia infinita, simul rem a *non esse* ad *esse* revocare & sistere queat.

§. 4. Est autem creatio opus *voluntatis liberrimæ*, etenim non necessario sed *sponte* res extra se positas produxit, & quidem non, ut *gloriam sibi conciliaret*, prout vulgo præsumitur, verum *ut alia entia secum beata redderet*. Ubi tamen lubenter confiteor, quod entia rationalia pro hocce beneficii genere Deo *gloriam æternam* debeant, eandemque in omnibus suis actionibus ultimo intendere teneantur.

§. 5. Quando Deus varii generis res vel inanimatas vel animatas, vel bruras vel ratione præditas creavit, procul dubio factum est, *ut altera alterius conservationi & felicitati inserviret*. Primarius usus, quem entia rationalia ex cererarum rerum inspectione habent, in eo consistit *ut ad summi creatoris cognitionem & venerationem* quasi manu ducantur.

§. 6. Quæstionem vero: *An Deus mundum potuit creare meliorem*, non possumus non affirmare, quandoquidem creatio est *opus benignitatis divinæ*, cum itaque benignitas semper secundum *beneplacitum voluntatis*, minime vero ad *ultimum posse* poterit considerari, sequitur utique, quod infinitis modis perfectiorem potuisset creare, si voluisset. Hoc vero non obstat, quominus tamen credamus, *omnia in Mundo esse summe sapientissime constituta, ita ut cogitare non detur, eum sapientius agere potuisse, videl respectu finis, quem in creatione intendit.* An vero hunc Mundum, quem ita sapienter condidit, sit iterum perditurus, ratio sibi relicta ignorat, cum concipere nequeat causam, quare Deus rem sapienter constitutam & semel approbatam, destruere & improbare velit; qua in re unice, quid statuendum sit, ex revelatione peti debet.

§. 7. Inter quæstiones Domitianas merito referimus illas Scholasticorum, (1) *An Deus potuit creare Mundum ab æterno.* (2) *An Deus potuit producere creaturam infinitam*, & (3) *Quid Deus ante creationem Mundi fecerit*, cum priores duæ contradictionem involvant, ultima autem definiri nequeat, proinde *Augustinus*, non male respondet ad illam, *quod scrutantibus Gehennam præparaverit.*

CAP.

CAP. XI.
De
Providentia Dei.

§. 1.

Providentia est actio Dei, qua Deus omnes creaturas secundum *certum ordinem* & *leges a se positas* conservat & regit.

§. 2. Sunt autem imprimis duæ creaturarum species, aliæ *corporeæ*, aliæ *intelligentes*. Si res corporeas & brutas spectamus, deprehendemus *eas constanti ordine perpetuo agitari* & conservari, ut nullum genus ex iis pereat; perinde autem est, sive credas hoc *immediate* aut *mediate* fieri, cum utrumque providentiam divinam demonstret.

§. 3. Si res intelligentes, utpote homines, spectamus, providentia divina circa eos elucet (1) *ex conservatione sexus, ut semper tot femellæ superstint, quam mares*, (2) *exinde quod Deus homines posuerit in terra, quæ omnia ad vitam conservandam & delectandam necessaria suppeditat*, (3) *in eo, quod sæpe malorum potentiorum conatus, etiamsi satis prudenter sint excogitati, fiant irriti; piorum vero destinata contra malevolorum oppositiones finem feliciter obtineant*; utpote quæ omnia Dei providentiam satis produnt.

§. 4. Communiter autem in providentia divina tria momenta considerari solent videl.

(1)

(1) *conservatio*, (2) *cooperatio* & (3) *gubernatio*.

I. De conservatione.

§. 5. *Conservatio* est rerum creatarum *durans existentia*, circa quam duplex Philosophorum sententia

1. Nonnulli, inter quos *Weigelius*, *Sturmius* &c. conservationem pro *perpetua creatione* venditant, dum putant, res omni momento in nihilum decidere, & per Dei voluntatem rursus sisti; proinde rerum existentiam distinguunt in *præteritam*, quæ erat aliquid & est nihil, *præsentem*, quæ erat nil, & est aliquid, & *futuram*, quæ est nihil, erit tamen aliquid.

2. Multi e contrario defendunt, quod rebus simul ex nihilo productis eis indita sit talis *stabilitas, ut suæ naturæ vi existere pergant*, nisi a Deo per absolutam vim in nihilum redigantur. Bene itaque Poiret, *falsum est* inquit, *novos sustentationis actus debere iterari. Nam si Deus actu voluit, ut aliquid per* 1000. *annos existeret, & tamen actus voluntatis unicus non sufficeret, ut res duret, sequeretur actum Dei esse insufficientem & impotentem, quod blasphemum.* Hinc statuimus, *quod Deus eodem voluntatis actu, quo enti dedit existentiam, simul dederit existentiæ continuationem, ut non opus sit ejus repetitione*; etenim quis vellet negare, terrum per eam naturam, qua incœpit existere, etiam

in

in existendo perseverare posse, ac nunquam in nihilum recidere, nisi ipsius naturæ vis inferatur.

II. De Cooperatione seu concursu.

§. 6. *Concursus* dicitur, quo Deus *influit in actiones creaturarum.* Ubi *Malebranchius & Sturmius* creaturarum vim agendi & operandi *immediate & unice* derivant à *voluntate*, & operatione Dei, ita ut actiones, quæ creaturarum dicuntur, proprie sint actiones Dei, qui ex occasione creaturarum agat. Hinc Sturmius hanc legem naturæ facit, videl. *quod Deus immediate in corpore humano velit illum excitare motum, quem mens decrevit.*

§. 7. *Communis sententia* hinc parum abest, dum statuitur, quod creatura quidem habeat *vim operandi, ita tamen, ut indigeat cooperatione & concursu DEI*, qui sit *immediatus*, proindeque Deus cum liberis entibus libere, cum necessariis necessario, cum debilibus debiliter, cum robustioribus fortiter concurrat. Potissimum hujus opinionis fundamentum est, quod creaturæ, uti in *esse*, sic etiam in *operari* a Deo dependere debeant. Enim vero quid opus est, ut illam dependentiam explicemus per ejusmodi concursum, quem intelle-

ctu concipere haut possumus: sufficit, Deum pro lubitu vim operandi in creaturis retrahere, impedire & dirigere posse, utpote quod lubenter largimur.

§. 8. Itaque communem opinionem deserimus, quia tantum abest, ut illa divinam extollat gloriam, ut potius divinis perfectionibus immane quantum detrahat, cum procul dubio majorem potentiam in artifice arguat, quando machinam, quæ sine ipsius auxilio movetur, conficere potest, quam si ista perpetuo artificis concursu indiget.

§. 9. Quare cum ratione & aliis viris doctis in hoc passu statuo, *quod creaturæ suam in creatione acceptam operandi vim & motum secundum leges in natura datas sine concursu Dei exerceant*; proinde Planetæ per semel acceptum impulsum se movent ea lege, quam Deus præscripsit. Item homines & bruta sua membra movent, eorumque animæ cogitant per semel acceptam in creatione movendi & cogitandi facultatem. Ubi tamen lubenter confiteor, (1) *Deum semel in natura positas motus leges sua providentia sollicite conservare*, (2) *posse tamen his neglectis, quando placet, extraordinarie per miracula operari*.

III. De Gubernatione.

§. 10. *Gubernatio* consistit in eo, quod Deus res mere corporeas & rationales ita *dirigat*,

gat, prouti fini, quem sibi in creatione Mundi proposuit, *maxime conveniens est*; Hinc in mundo materiali constituit *certas leges*, (quæ exponuntur in *Physicis*) secundum quas ordinarie omnia gubernat, ut tamen sæpe extraordinarie hic procedat per *miracula*, de quibus statim pluribus agemus. Circa res ratione præditas ejus gubernatio versatur in plurimis, videl. præscribendo actionum normam, annectendo bonum naturale bonis, & malum naturale malis actionibus, liberando e periculis, e morbis, aliisq; calamitatibus, exaltando abjectas familias, supprimendo illustriores, determinando mortem &c. &c. id quod facit vel modo usitato & *manifesto*, vel inusitato & *secreto*, quæ ultima gubernationis divinæ ratio vocatur *Fatum*, de quo infra plenius.

1. *De Miraculis.*

§. 11. Ut natura miraculi rite intelligatur, ratio hæcce ejus attributa determinat.

1. *Ut raro contingat, nam quod sæpe & quotidie evenit admirationem excitare nequit*, cujus productio tamen per miraculum intenditur.

2. *Ut supra naturæ ordinem contingat*, & vires creaturarum transcendat, proindeque infinitam Dei potentiam arguat.

3. *Ut eo fine fiat, quo nuncius & Dei ministris fides apud populum habeatur*, utque eo tempore contingat, quo isti eo indigent. Etenim

nim quoniam hominum salutem amans Deus non potest non velle, ut mentes infirmæ creaturis adhærentes ab illis ad DEUM per sanitatem Doctrinæ & vitæ convertantur; hinc necesse fuit, eum in finem Prophetas ac Apostolos mitti, utque eorum doctrinæ fides in convertendis conciliaretur miracula edi.

§. 12. E dictis palam est.

1. *Miraculum non esse effectum virtutis alicujus in Propheta, ad cujus verbum factum est, sed immediatum Dei opus.*

2. *Nullum spiritum creatum adeoque nec Diabolum miraculum facere posse*; stolidum enim esset credere, ordinem a summo rerum Domino sapientissime institutum, temere a creatura immutari posse, idque eo magis, cum ordinem ab infinita potentia institutum nonnisi infinita potentia immutare valeat. Quod observandum I. contra *Poiretum*, qui statuit, *miraculum etiam juxta leges naturæ explicari posse & fieri, si in materia licet secundum ordinarias motus leges modificata subitæ mutationes oriantur*: has enim sufficere, ut in hominibus excitetur *admiratio*, ad eliciendam eorum fidē, necessaria. Supervacuum itaque esset credere, Deum omnes universi leges sapientissime ab ipso statutas evertere, cum res iis salvis contingere queat. II. contra *Clericum*, qui putat *& Spiritum creatum permittente Deo miraculum*

lum facere posse, indeque esse, quod magi impii æque ac viri pii coram plebe miracula effecerint. Proinde etiam hos miraculis assignat usus, sc. *ut illi, qui non amplius infirmi, sed ob veritatem, in qua sæpius instructi, fortes esse debeant, tententur*, utrum Deo ita firmiter adhæreant, ut ab ipso ob nullum creaturarum dictum vel factum avellantur; & porro, *ut ii, qui pertinaciter veritati resistunt, de mendacio persuadeantur.* Ideo enim Deum permittere credit, ut miracula fiant per impostores, falsum cultum inculcantes, quo *illi* tententur ad bonum, *hi* vero ad malum.

§. 13. Enim vero lubenter concedo, quod ab hominibus callidis & arcanarum naturæ virum scrutatoribus aut Magis multa *mirabunda* ac *portenta* vel artificialiter vel facto glaucomate effici queant, quæ simpliciores ad similem admirationem rapere valent, ut ejusmodi impostoribus fidem adhibeant; pernego tamen, Deum salva sua Majestate & veritate permittere posse, ut creatura miraculum faciat & sapientissimum ipsius ordinem ad alios decipiendos immutet, inprimis cum Deus miraculum ceu medium, fidem nunciis suis conciliandi, adhibere soleat.

§. 14. Quod autem per miracusum veritas prophetiæ infallibiliter probetur, patet inde, *quia cum ratione præsumi nequeat, Deum in gratiam impostoris mundi ordinem immuta-*

rurum esse: nihilominus periculosum opus aleæ est, verum miraculum a falso discernere, ne aliorum offuciis deludamur; quem in finem nota hanc regulam: *Quodcunque miraculum eo pertinere videtur, ut quippiam falsum nobis persuadere intendat, id non pro vero miraculo sed pro impostura & fraude maligni spiritus habendum.*

§. 15. Juvat hic addere observationem *Baconis de Verulamio*, videl. quod ex nulla historia afferri possit exemplum unicum, unde probari queat, *Deum miraculum edidisse ad convincendum Atheum*, videl. quia opera sua ordinaria huic rei sufficere reputavit. Proinde cum homines e superstitione gentili ad christianam religionem erant perducendi, ipsorum admirationem per miracula excitare voluit, ut eo promtius suis ministris fidem tribuerent.

§. 16. Et inde ratio quoque derivari potest, *quare in Ecclesia plantata cessent miracula*; etenim non diffiteor, Deum adhuc miracula edere posse, sed posteaquam de veritate Christianæ religionis jam existent tot testimonia, ad convincendas homines satis idonea, Deo placuit, via ordinaria in hominum ad fidem & vitam Christianam conversione procedere, ut Deum tentare censendi sint omnes, qui miracula exspectant.

§. 17. Ad pseudo miracula eademque diabolica

abolica referri possunt *Oracula*, de quibus *Dn. von Dalen* & Fontenellius adstruere conantur, *eadem ortum traxisse ex stolida gentilium opinione, qua bonos & malos genios, qui se immiscerent rebus, ad genus humanum pertinentibus, crediderunt, quamque sacerdotibus eorum occasionem suppeditasse, ut plurima miracula & prædictiones fingerent, illasque ab ejusmodi Dæmonibus proveniisse imperito populo obtruderent*; proindeque multa ex antiquitate corradunt, ut probent, oracula fuisse *mere humanas sacerdotum circumventiones.*

§. 18. Enim vero cum rationi non contrarietur, statuere, (1) *entia intellectu perfectiore ad prævidenda ea, quæ homines præscire nequeunt prædita*, & (2) *eadem cum hominibus posse communicare, illisque prædicere ejusmodi futura*, quæ ex circumstantiis sagax subjectum prægnoscere valeat, simul concludo, *oraculorum possibilitatem*, qua supposita, tota controversia est de *factis*: ubi lubenter confiteor, multas hominum fraudes oraculis interveniisse, ne tamen omnia oracula statim pro impostura hominum habeamus, ni velimus totam historiæ fidem tollere.

2 *De Fato.*

§. 19. *Fatum* definitur *per arcanum Dei decretum & consilium, quo Deus genus humanum gubernat, mortalibus bona & mala dispertiendo.* Secundum hoc DEUS arcano modo

&

& ob rationes nobis incognitas efficit, ut alteri omnia destinata secundum votum cedant, quamvis debitam circumspectionem non semper observaverit, alteri vero justa cum prudentia agenti omnia destinata infeliciter eveniant. Sic fato fit, ut alii citra magnos labores divites evadant, & alii citra extraordinariam eruditionem ac prudentiam summos in civitate honores adipiscantur; alii contra inter concatenatos labores inopes, & quamvis singulari eruditione & prudentia præditi sint, in obscuro abjecti degant. Sic fato sæpe imperia transferuntur, translata confirmantur, confirmata iterum infirmantur &c. &c. Quæ omnia si ex *prudentia & culpa hominum* accidunt, non possunt fato attribui, sed si citra illas *ex arcana S. Numinis directione* contingunt, *fatum* adpellantur.

§. 20. Ubi non parum expedit, *fatum suum consulere*; nonnulli enim quasi ad bella in media pace nati sunt, ut nil feliciter peragant, nisi multas difficultates superaverint. His difficultates ortæ *signa sunt ad prosequendum finem impellentia.* Aliis demum destinata feliciter cedunt, quando nullæ difficultates suboriuntur; hos *oportet desistere, simul ac vel minima obstacula incidunt.*

§. 21. Modo dictum fatum appellare solent *theologicum*, quod proinde *reverenter habendum & patienter ferendum.* Quod attinet,

net reliquas fati ſpecies, utpote fatum *Phyſicum*, *Aſtrologicum*, & *Stoicum*: his cum fundamento applicari poteſt commune dicterium: *Quod fatum ſit fatuum.*

§. 22. Qui benigniora experitur fata, is *fortunam*, qui inimica, is *infortunium* habere dicitur. Et ſic fortunam, quam Gentiles, ut Deam adorabant, referimus ad providentiam divinam; eſtque nil aliud quam *poſitus certarum circumſtantiarum a fato ſive providentia divina factus, quarum prudenti uſu me felicem reddere poſſum.* E. g. De eo, cui fatum excellens ingenium, opes, & occaſionem litteras addiſcendi conceſſit, affirmo, quod *proſpera* utatur *fortuna*, quoniam debito dictarum rerum uſu ſe felicem reddere poteſt. Et inde intelliges ſenſum proverbii; videl. *quemlibet eſſe fortunæ ſuæ fabrum* i. e. in cujuscunque facultate & arbitrio eſſe, an velit a fato conceſſis circumſtantiis fortunatis rite uti nec ne.

§. 23. Porro fortuna ſumitur pro *caſu*, qui eſt *eventus improviſus a fortuito cauſarum ſecundarum concurſu dependens*, quemque in noſtra poteſtate non habemus. Quando itaque caſui rem committo, *Sors* vocatur. Dividitur autem caſus in *fortunatum*, cum eventus, qui accidit, bonus eſt, & *infortunatum*, cum eventus, qui accidit, infortunatus eſt.

§. 24, Obſervabis autem in hac materia momenta ſequentia.

1. *Quod providentia divina non quidem circa omnem caſum excludenda; nec tamen omnes caſus ab eadem poſitive dirigi credas, cum id* divinæ majeſtati derogaret.

2. *Quod plebs ſuperſtitioſa lubentius id fortunæ et ſortis ictui ſubjiciat, in cujus poſſeſſione aut privatione ipſius ſalus & felicitas vertitur*; cum tamen rationi repugnet, id caſui præter neceſſitatem exponere, quod noſtra multum intereſt, ut eo fruamur.

§, 25. Demum vana ſuperſtitio homines induxit, ut credant, quod ad futurorum fatorum fortunæque ſuæ prædictionem per artem, quam vocant *divinatoriam*, poſſint pervenire. Ejusmodi divinationem deſumſerunt,

(1) ex aſtrorum poſitu & aſpectu tempore nativitatis, indeque orta eſt *Aſtrologia.*

(2) ex avium volatu, & vocabatur *Auguriam.*

(3) Ex manuum & frontis lineis, & vocatur *Chiromantia* & *Metopoſcopia.*

(4) ex punctorum expoſitione, & vocatur *Geomantia.*

(5) ex ſomniorum interpretatione, & vocatur *Oneirologia.*

§. 26. Sed quid dicendum de *Omine*, ſeu caſuum felicium & infelicium præſenſione; ubi rejicimus merito ſtoliditatem ſuperſtitioſorum

oſorum, qui ex neſcio quibus ſignis aliquid boni vel mali ominantur: ſic omen deſumunt ex occurſu leporis, canis prægnantis, it: ſi oculus palpitet, aures tinniunt, vel una aut altera ſanguinis gutta e naribus deſtillat, &c. Non tamen cuncta *omina* rejicere ſtatim audemus, cum ex multis exemplis conſtet, homines per certa omina a tragicis caſibus præſervatos fuiſſe; id quod divinæ bonitati & providentiæ non diſconvenire palam eſt, quamvis gentiles omina derivarent à *geniis tutelaribus*.

CAP. XII.
de
Incomprehenſibilitate Dei.

§. 1.

Ex deſcriptione tot attributorum divinorum impr. Dei immenſitate ac in ſciendo & operando infinitate per ſe fluit ipſius *incomprehenſibilitas*, ſecundum quam Deus non poteſt *complete* ac *adæquate* ab intellectu creato cognoſci. Etenim vix poſſibile eſt, ut detur cognitio, adæquata per aliquid, quod diverſam a repræſentato habet naturam, niſi ſit repræſentati cauſa efficiens; quinimo noſtra anima ſe ipſam non comprehendit, inde facile intelligitur, Deum per nullum intellectum finitum ſed tantum per ſeipſum complete poſſe repræſentari.

§. 2. Hæc Dei incomprehensibilitas homines disponit ad *fidem* & *amorem reverentialem*: quando enim consideramus, quod Deum perfecte intelligere ob infinitam ipsius perfectionem haut polleamus, lubenter mysteriis in S. codice propositis assensum præbemus, & dum ideo eum admirari incipimus, non possumus non simul cum amore reverentiali prosequi.

CAP. XIII.

De

De attributis Dei moralibus in genere.

§. 1.

JAm progredimur ad considerationem attributorum Dei moralium, quæ plane diversam habent naturam a creaturarum attributis moralibus; harum enim perfectiones morales sine imperfectione intelligi nequeunt, cum sint obligationes ex præscripta superioris lege fluentes; Deus autem nullum agnoscit superiorem, proinde non ex *obligatione* sed naturæ suæ *perfectione* agit.

§. 2. Intelligimus itaque per *attributa Dei moralia* illas affectiones relativas, *quas ex consideratione creationis & gubernationis super creaturas facile de eo concipimus*; quando

do enim perpendimus, quomodo secundum perfectiones hactenus descriptas Deo conveniat, eumque deceat, creaturas imprimis rationales gubernare, facile intelligemus, istis congruum esse, ut erga creaturas rationales *bonitatem*, *justitiam*, & *veracitatem* exhibeat, quoniam citra has perfectiones priores salvari haut possent, uti ex modo dicendis pluribus patebit.

CAP. XIV.
De
Bonitate Dei.

§. 1.

PEr *bonitatem* hic intelligimus illam respectivam, qua *Deus suarum perfectionum imagines extra se communicavit creaturis, ut eas secum felices reddat*; proinde formale bonitatis divinæ consistit in *uberrima realitatum ac perfectionum suarum communicatione.*

§. 2. Hæc Dei bonitas fluit ex *Dei sufficientia*; etenim ens omnes excogitabiles perfectiones possidens, & in summo gradu beatissimum, non potest non per liberalem sui communicationem perfectionum suarum abundantiam declarare, cum rationi meæ evidens sit, sui communicationem esse magnam entis perfectionem, prouti sui incommunicabilitatem pro imperfectione declarat.

§. 3. Vi hujus bonitatis.

1. Deus perpetuo realitates & perfectiones in creaturis efficit, conservat & adauget.

2. Deus erga homines tam benignus est, ne ab illis concipi ac optari queat, ut iisdem sit magis bonus: quoniam alias conciperetur idea bonitatis major quam actualis Dei bonitas sit.

§. 4. Inde patet, bonitati divinæ contrariari (1) *omne id, quo creaturæ rationales se acceptis suis perfectionibus privant*, id quod fit per actiones *injustas & inhonestas*, quæ, quia culpationem ideo merentur, *mala culpæ* dicuntur, (2) *quando creaturæ cum felicitate & perfectionibus à Deo benigne concessis non sunt contentæ*, quoniam hoc ipso Deum esse summe bonum negant.

§. 5. Cum bonitate autem Dei minime pugnant.

(1) *Quod quædam mala*, ut vocantur, *naturalia*, utpote sunt sitis, fames, intranquillitas, *hominibus a partu adsint*; siquidem hæcce omnia ideo bona sunt, dum a Deo constituta, ut hominum conservationi inserviant, utpote quæ sine illis haut feliciter procederet; culpa tamen hominum sæpe mala evadunt.

(2) *Quod negative permittat peccata*, quoniam in entibus rationalibus earũ perfectiones & realitates vult conservare & adaugere non coacte & iisdem repugnantibus, sed iisdem volentibus.

§. 6.

§. 6. Illa Dei bonitas demum pro diversitate objectorum & respectuum vocatur vel.

1. *Amor*, quo Deus inclinat creaturarum a se conditarum perfectiones adaugere.

2. *Philantropia*, qua Deus præ reliquis creaturis hominibus favet.

3. *Gratia*, qua Deus inclinat hominibus citra eorum meritum beneficia conferre.

4. *Misericordia*, qua inclinat homines a miseria liberare, & ex angustiis, quibus premuntur, eripere.

5. *Clementia*, qua creaturas rationales adversus se peccantes sustinet, pœnam differt, ac conversionem exspectat.

CAP. XV.
De
Veracitate Dei.

§. 1.

PEr *veracitatem* intelligimus illam Dei perfectionem, *qua Deus in declaratione suæ voluntatis sincere procedit, ac fallere nequit.*

§. 2. Hancce perfectionem Deo competere inde clarum est, quia ejus potentia, sapientia & bonitas obstant, quominus fallere queat; cum omne ens alios fallens dictis qualitatibus destituatur.

§. 3. Vi veracitatis divinæ

1. *Homines rebus evidenter cognitis assentientes*

tientes errare nequeunt: nisi enim hoc esset, Deus nos deciperet, cum rebus evidentibus assensum præbere nullam indifferentiam habeamus sed quasi cogamur.

2. *Anima nostra debet esse immortalis*; etenim quoniam nobis claram immortalitatis ideam cum ineluctabili ejus appetitu conjunctam insevit, Deus fallax esset, si in eo erremus.

3. *Omnia in S. codice expresse promissa implebuntur, ibidemque ad credendum clare proposita sunt indubiæ veritatis.*

CAP. XVI.
De
Justitia Dei.

§. 1.

Justum est, quod rei alicujus naturæ & regimini est congruum ac decens. Quod autem Deus sit *justus* i. e. quod ipsius naturæ conveniat, eumque deceat, in suis operationibus testari, se esse *potentem, sapientem, bonum, veracem, Mundi creatorem, conservatorem* &c. &c. inde facile probo, quia alias sibi ipsi contrarius esset, quod imperfectionem involvit, proindeque à Deo removendum, eique attribuendum est potius, quod suis *perfectionibus semper convenienter agat, id enim perfectionem involvit.*

§. 2.

§. 2. Ex hac justitiæ idea fluunt sequentia.

1. *Quod Deus vi suæ justitiæ permittere nequeat, ut creatura rationalis ipsum tanquam omnis boni fontem negligat, rejiciat, aut contemnat, & sibi omnes, quas possidet, perfectiones ceu Auctori tribuat*, quoniam alias Deus se haut esse creatorem, omnisque boni fontem, testaretur.

2. *Quod Deus vi Juæ justitiæ permittere nequeat, ut creatura rationalis alteram lædat* i. e. concessis a Deo bonis citra culpam privet, quoniam alias Deus, se haut esse bonum & potentem ostenderet.

3. *Quod ergo Deus vi justiæ a creaturis ratione præditis exigere velit, ut mutuam ac communem felicitatem omni modo promovere studeant*; nisi enim hoc vellet, bonitati & veracitati haut convenienter ageret.

4. *Quod proinde Deus vi justitiæ non possit non mediis creaturæ rationali attemperatis, utpote legibus, pœnis & præmiis impedire peccata, & promovere virtutes*: hoc enim ipsius supra demonstrata sapientia postulat.

5. *Quod porro Deus vi justitiæ non possit non suas pœnas in tantum exaggerare, quantum necesse est, ut impiis appetitus peccandi detur*, alias sapientiæ minus convenienter procederet. Cum itaque experientia testatur, malitiam hominum pœnis temporalibus non pos-

se infringi, ad æternas juste procedere poterit, & sub comminatione cruciatuum æternorum peccata interdicere; quandoquidem omnis pœna justa debet esse tanta, *ut appetitum peccandi supprimere valeat*, alias non esset satis prudenter constituta.

6. *Quod DEus vi justitiæ cum peccatore in gratiam redire nequeat, ni iste prius peccare desinat, ac incipiat peccata abominari, ob Dei offensionem tristari, Deumque adamare ac eidem se totum subjicere*, quoniam alias Deus sui neglectum approbaret, quod repugnat consect. I. At vero omissio peccati contritio, propositum melius vivendi, amor Dei &c. sunt ejusmodi bona & perfectiones, quas peccator in se ipso efficere non valet, nisi Deus illas operetur. Et quia concipi nequit, quomodo Deus tanta bona in rejectaneo peccatore decenti modo operari queat, ni prius solide testatus sit, *peccata hominum ipsi displicere*; Quod obstaculum per circulum continuo redit, donec detur *subjectum*, in quo Deus testimonium odii erga peccata exhibuit, quale relicta sibi ratio deprehendere nequit, revelatio tamen docet, talet subjectum esse *Jesum Christum Mundi Messiam*, in quo odium erga peccata Deus testatus est, ut in nobis peccatoribus dicta bona decenter efficere posset.

§. 3. Ex combinatione trium dictarum idearũ, quatenus Deum ut *bonum, veracem* & *justum* conci-

concipimus, propululat nova, videl. *idea ſanctitatis*: etenim ideo Deum ſanctum vocamus, quod erga ſuas creaturas ſe *benignum*, *ſincerum* & *juſtum* exhibeat. Unde ſimul intelliges, quale ſit Dei imperium, de quo in ſpeciali capite.

CAP. XVII.
de
Imperio divino in homines.

§. 1.

IMperium involvit *facultatem dirigendi alterius actiones*, ex illis quasdam vel *præcipiendo*, vel *prohibendo*, vel *permittendo*.

§. 2. Ut autem quis ſuperiorem agat, & legitimum exerceat imperium, non ſolum *potentiam*, ſed imprimis *jus imperandi* habere debet. Jus imperandi in homines Deus ſibi acquiſivit ex beneficio *creationis* & *conſervationis*.

§. 3. Hocce imperium Dei in homines ad tria momenta ſe extendit; etenim ſecundum hoc.

1. *Deus hominum actionibus certam normam, quam* ad pellamus *legem*, *præſcribere potuit*, quod autem ſimul id voluerit, hominesque ad eã obſervandam etiã ſub metu pœnæ obligaverit, inde probatur, quia, dũ ex bonitate homines creavit, ut eſſent felices, ſimul viſapientiæ voluit

 exſtare

exstare certam normam, utpote sine qua hominum felicitas promoveri haut potuit. *Et hoc est fundamentum Philosophiæ practicæ.*

2. *Deus media perveniendi ad salutem æternam determinare potuit*, & quænam actu præscripsit, docet S. Sacra; & hoc est *fundamentum Theol. omnis, speciatim moralis.*

3. *Deus rerum veritates determinare, & quicquid intellectus humanus pro vero quidquid pro falso habere debeat, præscribere potuit. Et hoc est fundamentum Philosophiæ theoreticæ, & theologiæ dogmaticæ.* Primum imperii divini caput communicatum etiam hominibus est, ut sc. homo Rex hominibus aliis normam actionum ad felicitatem hujus vitæ promovendam præscribere juste possit: reliqua autem duò imperii divini capita pertinent ad *reservata Dei*, ita ut si homo imperium in conscientiam & intellectum aliorum hominum sibi arrogare vellet, Majestatem divinam læsisse, ac jura Dei majestatica violasse, censendus sit.

§. 4. Vides itaque imperium Dei in homines esse summum & absolutissimum, quod tamen non eo velis extendere, *quasi Deus possit vi imperii absoluti efficere, ut homines sub statu multo pejore sine culpa collocentur, & proinde cum Hobbesio statuere, Deum posse etiam homines innocentissimos & qui nunquam peccassent, juste omnibus doloribus affligere*; etenim

nim imperium divinum, quamvis absolutissimum, est tamen justum; justitia autem Dei non permittit, ut ejus potentia bonitatem destruat, sed amicabili quodam nexu in omni opere conjunctæ debent conspici.

PARS SPECIALIS
exhibens
Dei cultum.

§. 1.

HActenus pro ingenii modulo, *quod* Deus sit, & quibus gaudeat *perfectionibus*, satis perspicue & solide demonstravimus, restat, ut paucis addamus, quomodo creaturæ rationales erga Deum tantis perfectionibus instructum se gererere debeant, & quæque sint hominum erga ipsum *officia*. Et sic in parte hac tractamus *doctrinam de cultu Dei s. pietate*.

§. 2. Per *cultum* intelligimus *modum actiones nostras alterius voluntati attemperandi, ut ideo ipsi fiamus grati, ejusque favorem nobis conciliemus.*

§. 3. Quod autem Deus a creaturis rationalibus sit *colendus*, fluit ex *justo Dei inhomines imperio*, vi cujus Deus sui neglectum permittere nequit, vid. retro Sect. II. c. XVI. §. 2, & hominnm actiones pro lubitu dirigere potest. vid. retro Sect. II. c. XII. §. 2. 3. Ad illum autem Dei cultum nos propriæ felicitatis amor im-

pellet, cum impossibile sit, obtinere *felicitatem* i. e. vivere *secure* qua totum, *sane* qua corpus & *tranquille* qua mentem, nisi S. Deum habeamus faventem.

§. 4. Ut autem scias in quo consistat modus Deum colendi, ejusque favorem nobis conciliandi, observa, quod ratio colendi Deum desumenda sit *ex revelatione & respectu, quem homines ad Deum ejusque attributa habent*, prout sequentia capita pluribus docebunt.

§. 5. Ex dicto fundamento cultum Dei distinguimus in

I. *Internum*, qui actionibus immanentibus peragitur, & continet sequentes pietatis regulas

1. *Deum esse amandum.*
2. *Deo esse obtemperandum.*
3. *Deum esse venerandum.*
4. *Deum esse reverenter habendum.*
5. *Deo esse credendum.*
6. *Deo esse confidendum.*

II. *Externum*, qui actionibus transeuntibus peragitur, continetque sequentes pietatis regulas

1. *Deum esse invocandum.*
2. *Deum esse celebrandum.*
3. *Deo esse gratias agendas.*

§. 6. Cultus externus Deo competens dicitur *religiosus*, a quo differt *civilis*, non quidem semper *habitu*, *situ*, & *gestu* corporis, sed

sed *sententiæ* de eo, qui colitur, *declaratione*, Proinde si in genua procumbimus coram aliquo, animo declarandi eo signo, quod habeamus ipsum pro Deo, est cultus religiosus; si vero idem facimus, ut modo ipsius imperium agnoscamus, est cultus civilis.

SECTIONIS I.
ubi
exponitur
Cultus Dei internus
CAP. I.
de
Ima Pietatis regula sc.
de

Amore Dei.

§. 1.

PEr *amorem Dei* intelligo *mentis nostræ propensionem* in Deum, qualem vocare solent *amorem concupiscentiæ*, utpote in quo Deum ceu primarium nostrum bonum, a quo esse & bene esse nostrum unice dependet, nobis concipimus & adpetimus.

§. 2. Quod autem Deus amandus, fluit ex ipsius *bonitate*, qui enim se nobis benignum exhibebit, ad illum amandum sumus obligati.

§. 3. Amandus porro est DEUS *amore summo*. idque ideo, quia omnium bonorum summum & maximum est, proinde omnibus aliis bonis præferri debet. Quodsi itaque con-

concurrit amor vitæ noſtræ, aliorum hominum, opum noſtrarum, honoris ac voluptatis cum amore Dei, amor illarum rerum amori Dei poſtmonendus eſt.

§. 4. Peccant itaque contra hoc præceptum non ſolum illi, qui Deum infinitum illud bonum odio proſequuntur, ſed etiam qui Deum minori amore, quam alias res proſequuntur, atque ita Deum creaturis poſthabent.

CAP. II.

de

IIdo pietatis præcepto ſc. de

Obedientia erga DEUM.

§. 1.

SEquitur *obedientia*, qua intelligimus *illam mentis ſubjectionem, qua Deum tanquam noſtrum ſuperiorem reſpicimus, eidemque voluntatem noſtram ac omnes noſtras inclinationes promte ſubmittimus.*

§. 2. Ut autem Deo ſummam exhibeamus obedientiam, exigit ipſius abſolutum nobis imperandi jus, utpote cui arctiſſima parendi obligatio in nobis reſpondere debet. Accedit amor in præcedente præcepto injunctus, vi cujus perſonæ amatæ in omnibus placere, & ſecundum ipſius voluntatem actiones noſtras inſtituere, anhelamus.

§ 3. Atque hæc obedientia eſt fundamentum

tum omnium noſtrorum officiorum erga Deum, nos ipſos & alios homines, ac principium impulſivum totius doctrinæ moralis; niſi enim juſti & honeſti regulæ ex amore obedientiæ erga Deum obſervemus, numero piorum & honeſtorum accenſeri haut poſſemus: id quod bene notandum contra *Thomaſium*.

§. 4. Exinde fluit.

(1) *Quod amor concupiſcentiæ erga Deum ſit vanus & irritus ſine obedientia*, ſtulte enim quis gloriatur, ſe Deum amare, qui voluntatem ſuam divinæ voluntati ſubjicere detrectat.

2 *Quod ſine amore obedientiæ internus & externus Dei cultus ſit inanis & hypocriticus.*

§. 5. Contra hoc præceptum peccatur per *inobedientiam*, quam dividere poteris in *indirectam* & *directam*.

1. *Indirecta* deprehenditur in omnibus peccatoribus, qui etiam ex imbecillitate præcepta Dei violant. Ex hac inobedientia fluens peccatum Jeſuitis vocatur ſatis impie & abſurde *Philoſophicum*,

2. *Directa eſt*, quæ deprehenditur in hominibus præfracte malis. Sunt enim ejusmodi incarnati diaboli, qui obedientiam Deo directe denegant, atque in omne illud cum voluptate tendunt, quod divinæ voluntati contrarium eſſe norunt.

CAP. III.

De IIItio pietatis præcepto sc; de Veneratione Dei.

§. 1.

SImul ac personã admiratione nostra dignam iudicamus, & ideo valorem magnum ei tribuimus, ipsam existimare ac *venerari* dicimur.

§. 2. Fundamentum autem venerationis á variis varie determinatur. Hobbesius ob sólam *potentiam* aliquem veneratione dignum judicat. Saniores tamen Philosophi in subjecto venerando hæcce tria conjunctim sc: *benignitatem, potentiam* & *sapientiam* requirunt; hæ autem perfectiones cum in Deo summo in gradu deprehendantur, simul patet, ipsum summa veneratione dignum esse.

§. 3. Veneramur itaque Deum, si quando eum æstimamus,

1. *ceu ens infinite benignum, fontemque omnis boni*, cui omnem felicitatem, qua gaudemus, acceptam ferimus.

2 *ceu potentem universi Mundi Dominum*, qui nobis imperat, & cui obedientiam exactissimam præstare tenemur.

3. *ceu sapientissimum mortalium gubernatorem*, per cujus prudentissimam directionem nobis

nobis omnium optime consulatur. Breviter, veneramur Deum, si ipsius Majestatem cum summa mentis humilitate admiramur.

§. 4. Peccatur contra hoc præceptum per *superbiam*, qua homines impii se ipsos suæ felicitatis causam habent, imperium divinum flocci æstimant, suæq; potentiæ & prudentiæ omnia tribuunt. Solet tamen hæcce superbia ruinam comitem habere.

CAP. IV.

De

IVto pietatis præcepto sc.

de

Reverentia erga DEUM.

§. 1.

EX amore & veneratione Dei oritur in piis hominibus simul *timor* & *reverentia* erga ipsum; hæc est illa mentis *sollicitudo, qua de Dei benevolentia retinenda, & ejus ira avertenda sumus solliciti, eamque sollicitudinem caute ubique & observanter agendo declaramus.*

§. 2. Ad hunc Dei timorem nos obligat potens ejus justitia, qua novimus ipsum indignari omnibus, qui irreverenter erga eum se gerere, ipsiusque voluntati contrariari audent.

§. 3. Et quamvis minime cum Malebranchio statuam, *solum Deum uti amandum, sic & timendum esse*, quia prout solus fe-

licitatis nostræ causa, ita etiam solus aliquid mali nobis afferre possit; hoc tamen confiteri debeo, quod Deus summo reverentiæ gradu præ omnibus aliis colendus sit, quoniam Deus omnium maxime nobis prodesse & nocere potest.

§. 4. Peccatur contra hoc præceptum, (1) per *irreverentiam*, quãdo de Deo vel plane non solliciti sumus, vel minus, quam de hominum benevolentia & indignatione, (2) per *metum servilem*, quando Deum ex metu pœnæ adducti veneramur.

CAP. V.
De
Vto pietatis Præcepto sc.
de
Fide Divina.

§. 1.

PEr *fidem* intelligimus illam intellectus certitudinem, *qua omne id, quod Deus nobis vel per rationem vel per revelationem manifestavit credimus, & pro vero habemus.*

§. 2. Credimus autem Deo propter ipsius veracitatem, quæ nos obligat, ut nunquam vel in dubium vocemus, vel plane negemus, quæ Deus nobis revelavit.

§. 3. Peccatur itaque contra hoc præceptum per *incredulitatem*, quam deprehendimus *in Scepticis*, qui *vel* dubitant de iis, quæ per rationem nobis sunt evidentissima, qualis stoliditas

ditas imputatur *Pyrrhoni* ipsiusque asseclis, vel dubitant ac negant, quæ in Scriptura S. proponuntur, simul ac dictas res ratione concipere non valent, qualis impietas deprehenditur in *Socinianis*.

CAP. VI.
De
VIto pietatis Præcepto sc.
de
Fiducia in DEUM.

§. 1.

PEr *fiduciam* intelligimus *illam voluntatis certitudinem*, qua *persuasi sumus*, *fore ut Deus nobis in omnibus adjumento esse, & ex omnis generis malo nos erripere possit & velit.*

§. 2. Hancce virtutem a nobis exigit Dei *potentia, benignitas, & sapientia*; etenim cũ per *istam* Deus *possit*, per *illam velit*, & per *hanc sciat* justo tempore & debito modo adjuvare, simul, certo ei confidendum esse, intelligimus.

§. 3. Incitat autem in Deum posita fiducia non solum ad *æquanimitatem*, verum etiam ad *patientiam*; simulac enim consideramus, quod Deo sciente & permittente omnia contingant, & ipsius benignitas cautionem quasi fidejussoriam præstet, nolle Deum, ut infortunio succumbamus, ejusdemque potentissima sapientia de innumeris subveniendi modis securos insuper nos esse jubeat, necesse est, ut, si fiduciam in De-

um habeamus, simul sorte nostra contenti vivamus, ac à fatis immissa mala citra mœrorem & quærelas patienti animo sustineamus.

§. 4. Peccatur contra hoc præceptum

1. Per *diffidentiam*, quando de Dei auxilio desperamus.

2. Per *impatientiam*, quando inique ferimus immissam crucem, & contra Deum ideo murmuramus.

Sectio II.
De
Cultu Dei externo.

§. 1.

Circa cultum Dei externum controversiam movit Illustr. Thomasius, statuens, *ex lumine naturæ non posse demonstrari, Deum voluisse coli*; ubi tamen cavet, ne ipsius sententiam siniſtre interpretemur, se enim lubenter concedere, Deum digniſſimum esse, qui ab omnibus colatur, & justissimum esse, ut homo Deum colat, quando cultum externum ab eo exigit; proinde se tantummodo velle, quod ratio sibi relicta nil deprehendat in natura Dei, unde inferri possit, Deum voluisse coli actibus externis, & quoniam communiter in tribus hisce videl. *invocatione*, *celebratione*, & *gratiarum actione* cultus externus constituatur, facile illa omnia erga Deum interna mentis operatione peragi posse,

§. 2.

§. 2. Enim vero Deus exigit cultum, sui externum ex aliis fundamentis, videl. (1) *quia felicitas generis & societatis humanæ sine cultu Dei externo consistere nequit*; etenim dum partim externa divini cultus celebratio plurimos ad similem reverentiam erga Deum incitat, partim ejusdem neglectus efficit, ut plurimi internũ cultum abjiciant, quo sane securitas & impr. fides publica tolluntur, siquidem ei fidere non possum, qui nulla externa signa de interna pietate testantia edit, (2) *quia cultus eo maxime placet, quod gignat honorem in aliis; nisi ergo alii videant*, quod in cultu est gratissimum, perit. Accedit, quod internæ nostræ passiones, utpote amor, reverentia, timor &c. necessitate naturali per actus externos se prodere soleant.

§. 3. Est tamen hic caute procedendum, etenim pro lubitu nostro electus cultus Deo minime placet, proinde cultus Deo gratus ad ipsius voluntatem instituenduserit.

§. 4. Ut itaque scias, quem cultum externum ratio Deo gratum reputet & præsumat, observa hanc regulam: *Omnem cultum externum, qui veram animi pietatem exprimit, indeque propullulat, esse rationalem; qui vero ad corruptam humani generis indolem relationem habet, irrationalem & superstitiosum esse*; proinde omnes actus externi, qui sunt signa interni amoris, obedientiæ, reverentiæ, venerationis & fiduciæ &c. erga Deum, exhibent

hibent cultum Deo gratum & acceptum; & e contrario illi actus externi, qui sunt signa internæ stultiæ, ambitionis, avaritiæ ac voluptatis efficiunt cultum Deo ingratum & abominabilem.

§. 5. Ex quibus palam est.

1 *Cultum externum ceu naturale internæ pietatis signum non posse non esse simplicem*, ritibusque pauciſſimis constantem, ut proinde cultus externus, infinitis & theatralibus ceremoniis instructus, pro superstitioso sit reputandus.

2. *Per cultum externum superfluum & ceremonialem simpliciores a vero cultu interno abduci*, dum facile actibus externis omnem pietatem absolvi, sibi imaginantur.

§. 9. Vi positi criterii hæcce cultus externi addenda erunt capita.

CAP. I.
de
VII. pietatis præcepto sc.
de
Invocatione Dei.

§. 1.

QUod Deus per preces implorandus inde probo, quia hoc ipso declaramus nostram *confidentiam in eum*, quod illum habeamus pro fonte nostræ felicitatis, i.e. per cujus benignitatem a miseria liberari, & in statum felicem collocari queamus, ut omnia nostra desti-

destinata per potens ac sapiens ipsius auxilium prospere succedant.

§. 2. Est autem Deus implorandus non solum propter bona mentis, sed etiam propter bona corporis; quandoquidem æque necessarium est corpori certis frui bonis, quam animæ.

§. 3. Hic autem pietas exigit, *ut preces nostræ fiant cum intentione Deum colendi*, proindeque cum *attentione, animi subjectione, & fiducia*, quia alias cultus externus esset separatus ab interno, id quod repugnat supra datæ regulæ. Ergo impiæ sunt preces illorum, qui eas fundunt *sine attentione, ex consuetudine, & ostentationis gratia*, quique Deo *tempus & modum* præscribere volunt.

§. 4. Et quoniam *genuflexio ac capitis denudatio* sunt communiter recepta internæ venerationis & reverentiæ signa, merito iis utimur in nostris precibus, utpote in quibus cum summo Deo loqui audemus.

§. 5. An vero certis formulis Deus invocandus, ratio non determinat, verum potius illas preces optimas pronuntiat, quas quilibet pro suo modulo, & miseriæ, qua premitur, ac boni, quod appetit, varietate coram Deo fundit.

CAP. II.
De
VIII. pietatis Præcepto sc.
de
Laude & celebratione DEI.

§. 1.

QUod Deus sit celebrandus, ejusque Majestas deprædicanda, probo inde, quia hoc ipso *internam* nostram erga ipsum *venerationem* & *timorem* declaramus.

§. 2. Celebramus autem Deum

1. *Si de eo semper considerate & cum testificatione nostræ humilitatis loquimur*, ut proinde minus pium sit, de Deo ejusque perfectionibus *frivole disputatare*, ac *abjecte & inconsiderate loqui.*

2. *Si ejus perfectiones deprædicamus & admiramur*, ut proinde impium sit, Deum *blasphemare.*

3. *Si per nomen Dei aliis hominibus vel eorum actionibus benedicimus*, ut proinde impium sit per nomen Dei *maledicere.*

4. *Si per solum Deum juramus*, ut proinde impium sit *mendacium*, adhibito Dei nomine, eo firmare.

§. 3. Et quoniam etiam *cantilenis* aliquem celebrare solemus, non video, quare secundum opinionem Zwinglii ratio absurdum judicare possit morem laudandi Deum per cantilenas, cum

cum sit species sermonis, quibus æque declarare possumus internam nostram erga Deum venerationem.

CAP. III.

De IX. Pietatis præcepto sc. de Gratiarum actione DEO exhibenda.

§. 1.

QUod Deo gratiæ pro tot exhibitis beneficiis agendæ, probo inde, quia his ipsis declaramus *internum* nostrum erga Deum *amorem* & *fidem*, quodque illum habeamus pro Auctore omnium bonorum, quæ possidemus & cui totam nostram felicitatem acceptam feramus.

§. 2. In hac gratiarum actione declarare debemus.

1. *Quod citra nostrum meritum ex benignitate nobis omnia sint concessa.*

2. *Quod concessa bona nobis sint pergrata.*

3. *Quod quia illa rependere in re non valemus, eadem perpetua memoria recolere ac deprædicare velimus.*

§. 3. Et quoniam S. Numen nobis sæpissime singularia exhibet beneficia, satis pie homines in grati animi testimonium suscepto *voto* se Deo specialiter obligant.

CAP. IV.
de
Sacrificiis & Sabbato.

§. 1.

QUoniam penes omnes ferme gentes in consvetudine fuit, *sacrificiis* Deum colendi, & certos in anno dies cultui externo consecrandi, ultimo disquirendum erit, num ratio *Sacrificia & Sabbatum* ceu actus, quibus Deus coli velit, præcipiat.

§. 2. Quod itaque attinet *Sacrificia*, ubi res *externa & sensibilis Deo offertur, ut hic per ejus destructionem colatur*, sane mihi videtur, quod ratio sibi relicta intelligere nequeat, *Sacrificia esse modum colendi licitum & gratum*, quia concipere nequit, quomodo artifex per destructionem operum ipsius coli ac honorari queat.

§. 3. Quo ipso patet, quod fundamentum, unde sciam, sacrificia Deo fuisse accepta, unice ex revelatione sit petendum; hæc enim docet, sacrificia Deo placuisse ea de causa, quod fuerint *typi Messiæ immolandi.*

§. 4. Quod vero attinet *Sabbatum*, quo intelligimus illum cultus divini modum, *secundum quem certos in anno dies S. Numini consecramus, & in iis ab ordinariis laboribus abstinentes, unice cultui divino vacamus*, confiteri debeo, rationem sibi relictam sabbata

ut

ut necessaria non injungere, sed potiùs velle, ut quovis die Deum celebremus, omnemque diem habeamus sanctum; nihilominus tamen ratio sabbata ad erudiendos simplices & propagandam inter homines pietatem satis apta & utilia media reputat.

CAP. V.
De
Usu theologiæ naturalis.

§. 1.

HActenus quæ ad fundamentalem religionis naturalis cognitionem pertinent, qua fieri potuit brevitate & connexione tradidimus, restat ut eadem applicemus, & quænam aliæ inde dependeant veritates ostendamus: quem in finem observanda sunt prius sequentia axiomata.

1. *Quod sana religio nunquam absurda & perniciosa svadere ac præcipere queat*, quia docere debet ea, quæ Deo *sapienti bono* & *justo* grata sunt.

2. *Quod proin sana religio injungere debeat, ut erga alios justitiam & æquitatem observemus.*

3. *Quod sana religio legibus naturalibus & civilibus optimam conferat firmitatem, & robur addat ingens*, dum inculcat *amorem, obedientiam* & *timorem Dei.*

4. *Quod sanæ religionis natura omnem humanam respuat coactionem*, dum solum Deum intellectus & conscientiæ Dominum agnoscit.

5. *Quod sana religio monstrare debeat media perveniendi ad veram & solidam felicitatem*, quoniam in ea colitur Deus benignus & potens, qualis non potest non eorum, qui ipsi sincere serviunt ac adorant, felicitatem procurare, ac proin media salutis ostendere.

6. *Quod sana religio eademque perfectissima debeat omnia Deum possidendi media ostendere*, quia docet, Deum esse summum hominis bonum, a cujus possessione tota ipsius felicitas dependeat.

§. 2. Ex hisce axiomatibus per se fluit.

I. *Boni civis religionem nunquam turbare Rempubl. propter* ax. 1. &. 2. ut proinde omnis societatis humanæ perturbator satis prodeat, se vel nullam vel falsam habere religionem.

II. *Religionem naturalem conservare Societates civiles*, propter ax. 3. ut proinde *Atheismus* & *superstitio*, & qui illis respondent *Epicureismus* ac *Fanaticismus* societates dissolvant.

III. *Imperantem civilem subditos quidem ad religionem, minime tamen mediis coactivis impellere posse*, propter ax. 4. ut tamen ei liceat eos, qui Dei cognitionem abnegant, civitate

civitate sua expellere, propterantecedens consectarium.

IV. *Religionem naturalem quidem vitæ hujus felicitatem commonstrare* propter Axiom. 5. ut *tamen per eam ad æternam salutem pervenire non detur*, per Ax. 6.

V. *Religionem tamen naturalem esse manuductionem ad religionem Christianam*; etenim religio naturalis docet, *quod* sit Deus & *quonam cultu* tam *interno* quam *externo* sit devenerandus, quod cum & religio Christiana, modo licet perfectiori, faciat, simul patet, has disciplinas habere inter se affinitatem.

§. 3. Manuducit autem naturalis religio ad Christianam, dum ostendit, notas perfectissimæ religionis. Etenim perfecta religio monstrare debet reliqua omnia, quæ ratio determinare & suppeditare non valet.

§ 4. Perfectissimæ itaque religioni competit.

1. *Nil rationi contrarium statuere*, per Axiom. 1.

2. *insignes benignitatis & justitiæ divinæ effectus tradere, & vi relatorum summum justitiæ & æquitatis gradum inculcare, per* Axiom. 2. & 3.

3. *nulla violenta media ad sui propagationem commendare*, per Axiom. 4.

4. *æternam & completam felicitatem suis sectatoribus promittere, & modum ac vias ad eam perveniendi suppeditare*, per Axiom. 5.

5. *ratio-*

§. *rationem pœnitendi, & media cum Deo in gratiam redeundi ostendere*, per Ax. 6.

6. *Mysteria sapientiæ divinæ convenientia tradere.* per Ax. 6.

§. 5. Suppeditat ratio plures religionis perfectissimæ notas, utpote.

1. *Quod antiquitate se debeat commendare.*

2. *Quod divina providentia sespecialiter debeat exserere circa ejus promulgationem, propagationem & conservationem,*

3. *Quod ipsius tradita & præcepta cum singulari efficacia debeant esse conjuncta.*

§. 6. Has modo recensitas perfectissimæ religionis notas omnes in *religionem Christianam* quadrare, quilibet facta comparatione facile confitebitur; quemadmodum e contrario haut difficulter intelligimus, reliquas religiones, utpote *Muhamedana*, *Confuciana* &c. vel plane vel in plurimis deficere, ut proinde benigno debeatur. Numini æterna laus, qui nobis sua gratia adstitit, quod Christianam religionem amplexi, simul ejus sanctitatem & veritatem clare deprehendamus.

F I N I S.

(O)



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816996199/phys_0112
DFG

xpellere, propterantecedens con-

onem naturalem quidem vitæ hujus
mmonſtrare propter Axiom. 5. ut
m ad æternam ſalutem pervenire
er Ax. 6.
nem tamen naturalem eſſe manu-
l religionem Chriſtianam; etenim
alis docet, *quod* ſit Deus & *quo-*
am *interno* quam *externo* ſit de-
quod cum & religio Chriſtiana,
erfectiori, faciat, ſimul patet, has
abere inter ſe affinitatem.
uducit autem naturalis religio ad
, dum oſtendit, notas perfectiſſi-
is. Etenim perfecta religio mon-
reliqua omnia, quæ ratio de-
ſuppeditare non valet.
rfectiſſimæ itaque religioni com-

ioni contrarium ſtatuere, per A-

s benignitatis & juſtitiæ divinæ
ere, & vi relatorum ſummum juſtitiæ
radum inculcare, per Axiom. 2. & 3.
iolenta media ad ſui propagationem
, per Axiom. 4.
m & completam felicitatem ſuis ſe-
romittere, & modum ac vias ad
iendi ſuppeditare, per Axiom. 5.

5. *ratio-*